·ILVSTRIVM·VITE:·



6
24 G
6

VIRORVM QVI
SVPERIORI NOSTROQVE SECVLO ERVDITIONE ET doctrina illustres atque memorabiles fuerunt, Vitæ. Iamprimum in hoc Volumen collectæ.



TERENTIVS.

Inspicere tanquam in speculum, uitas hominum Iubeo, atque ex alijs sumere exemplum sibi.





Cum Cæs. Maiestatis Priuilegio.

FRANCOFORTI, *Christianus Egenolphus excudebat.*

PRAESTATISSI
MO VIRO DOMINO GEORGIO FVRSTERO à Vueilnau, amico eximio, Ioan. Fichardus. S. D.



VM in omnibus rebus plurimum refert, Georgi præstantissime, aliorum facta intueri, & ex illis sua comparare, tum uero in hac nostra quotidiana uiuendi consuetudine, præcipuam quandam uim habet, quàm optima consiliorum atque actionū exempla, proposita habere. Fit enim nescio quo pacto, ut semper aliena magis, quàm nostra spectemus: neq; fere quisquam est, qui ipsam uirtutem per se colendam atq; exprimendam sibi proponat. Sed ut quæque in alijs uel laude decorata, uel reprehensione aliqua notata uidemus, ita ea nobis quoque uel imitanda uel fugienda plærique existimamus. Atque adeo quasi quidam impetus à natura animis nostris insitus atque innatus est, Imitatio, ut quæ etiam in pueris, & adhuc ratione carentibus, tantum ualeat ac possit, ut ad ea quæ uiris, & arte institutis non satis possibilia uidentur, impulsu ac motu animorum sæpenumero ferantur, eaque exprimenda ac referenda sibi sumant. Quæ cum ita sint, præclarissimè de rebus mortalium meruisse iudicandi sunt, qui primi rerum gestarum historiam composuere, causasque & euentus uariorum iuxta singulas ætates consiliorum, per literarum monumenta ad posteros transmisere. Viderunt enim uiri summi ac prudentissimi illi, historiam planè magistram uitæ ac morum esse, hominumq; animos nō alio pacto de rebus communibus, in omnem partem commodius admoneri, aut alioqui excitari magis posse, quàm si ijs aliorum ac superiorum exempla legenda & quasi ob oculos spectanda exhiberentur. Nam ut ad speculum imaginem suam intuenti, semper occurrunt etiam ea quæ arte aliqua dissimulare ac tegere quispiam

cupiebat, ita ex aliorum comparatione, nostrarum quoque rerũ exitus ultrò nobis ante oculos apparent, eaque quæ ipsi sæpenumero occultare animis, aut dissimulare uerbis uolumus, inuitis nobis sese exhibent, qualiáque olim futura sint, iam tum sese produnt. Sed cum huius rei duæ potissimum rationes sint, altera quæ ex temporibus magis pendet, ubi non singulorum hominum res, sed ut quæque eodem tempore fortè gesta sunt, describuntur: altera autem breuior, & quasi certis limitibus conclusa, in qua uel unius belli caussę, principia, & exitus, uel certi hominis ingenium, mores, consilia, actiones & euentus, quasi sub unum fasciculum collecta proponuntur, haud scio an inter omnes præcipuam huius utilitatis laudem illi meruere, qui posteriorem rationem secuti, in breui aliquo opere, totum (ut ita loquar) hominem instituere atque informare possunt. Vt enim oculi nostri in unum aliquem scopum intuentes, certius ac melius omnia assequuntur & apprehendunt, sic animus quoque ubi unum aliquod certum exemplum ad quod se referat, propositum habet, plenius quodammodo & perfectius omnia & concipit & effingit. Proinde & ipsos illos scriptores, qui alioqui generalẽ & per oẽs ætates uagam atq; dispersam historiam tradidere, uidemus interim unum aliquod quasi à reliquo corpore diuisum membrũ edidisse, ubi uel belli alicuius singularis principia & euentus, uel personæ certæ uitia atque uirtutes describendas sibi sumpsere. Sic apud Sallustium, Catilinam, Iugurtham, separatos legimus: & apud Liuiũ quoque Camilli, Scipionis & quorundam aliorum uirtutes & facta, proprijs ac certis libris, non quidem à reliquis separatis illis, sed tamen solis ijs quorum res gestas continent, quasi dicatis & appropriatis, tradi uidemus. Quin & ipse Cicero, ut quidem ille gloriæ & immortalitatis semper appetens fuit, uolebat à Luceio res suas uno aliquo atq; distincto opere describi, nimirum quòd uidebat & gloriæ maioris emolumentum eam rem sibi fore, & aliorum manibus ac lectioni opus illud commodius futurum esse. Ita enim res ferè habet, ut non modo eos libros (præsertim alijs quoq; negocijs occupati) libentius legamus, qui quasi summatim

&

& sub uno aliquo titulo ac nomine, totam uiuendi rationem demonstrant, uerum etiam maiorem inde utilitatem capiamus, ac memoriæ facilius cōmendemus, dum uaria cōsilia, actiones, ingenia, mores, uirtutes, uitia cōpendio tradita intuemur. Quam rem Plutarchum quoque, hominem ut ex omnibus illius scriptis facilè apparet, communi studiosorum utilitati factum atq; deditum, impulisse credo, ut separatim uirorum illustrium uitas tradere, illorumque uicia atque uirtutes inter se mutuo comparare malue rit, q̃ historiam per omnia tempora & regna fusam atque distractam (quod tamen ipsum quoque potuisse uidetur) literarum monumentis commendare. Atque hanc quidem ob caussam ipse quoque nuper in eam opinionem ac spem ueni, ut putarem me rem minimè indignam aut inutilem, præsertim studiosis nostris, facturum esse, si uiri illius exemplum secutus, eorum hominum uitas, qui nostro & superiori seculo eruditione insignes ac memorabiles fuere, in unum opus collectas & redactas, cognoscendas atque legendas aliјs euulgarem. Neque enim parum delectationis ea res paritura uidebatur legentibus, si tam diuersa celeberrimorum hominum ingenia, & de studiјs, de authoribus, deq; rebus communibus iudicia, præterea mores, conuersationes, amicitias mutuas, fortunas, uirtutes, uitia, & quæ reliqua id genus sunt, ex uno aliquo opere cognoscerent: uerum etiam summam quandam utilitatem iјsdem allaturam esse, si quicquid cum ad priuatas tum ad publicas uiuendi rationes attinet, quasi in communi quodam speculo intueri atq; spectare potuissent. Et inuitabat me simile exemplum Aemilij illius, quem ipsum quoque puto non alio consilio Græcorum quorundam ducum historiam separatam & per cōpendiũ tradidisse, quàm ut hominibus studiosis, & sub breuitate ista scriptorum, uarietatem & copiam rerum cognoscere cupientibus, gratificaretur. Proinde quantum potui operam in ea re posui, non ut ipse de meo ære, quod dicitur, hoc quantum operis est, procuderem, sed ut ab aliјs, qui uel iјsdem hominibus conuersati essent, uel eodem tempore aut loco aliquando cũ illis uixissent, uel denique ob alias conditionis aut dignitatis suæ

rationes fide digni essent, iam ante scriptum atq; traditum in unū quasi corpus colligerem atque publicarem. In qua quidem re, ut erat sanè alicuius operæ, nec leuis negotij tot scriptorum chartas, ac scrinia percurrere, & ex singulis aliquid quod huc conferret indagare: non paruā nec contemnendā opem ingenio & diligentia sua, deinde & librorum quorūdam copia Iustinus Goblerus Legum apud Treuirorum ciuitatem professor publicus, uir in bonis quoque studijs ac literis nequaquam uulgariter eruditus mihi attulit: ut quem & ipsum qnoque argumenti genus hoc delectabat, & ob id sua quoque manu aliquot uirorum historias ad me descriptas dederit. Hoc igitur quantumcunque operis est, mi Georgi tibi dedicatum, tuoque nomine ad uulgus commendatum esse uolumus, tum ut ueteris & iam inde à prima infantia meæ inceptæ atque cognatæ amicitiæ nostræ hoc quasi quoddam pignus ac testimonium apud te relinquerē, tum ut ipse monumentum, & ut Græci dicunt, κειμήλιον istud, quod mei apud te memoriam, interim dum ipse in hac longinqua & incerta peregrinatione absum, custodiat, subindeque apud animum tuum renouet, te cum ac domi tuæ haberes. Atque ut omnis historiæ dignitas, inter omnes scriptorum ac literarum genus longè maximum atque præstantissimum est, idque non modo ueteres docti ac sapientes senserunt, uerum etiam nostra ætate pro uerissimo semper habitum, usuque confirmatum est, ita sanè confido hanc nostram operam cum tibi, qui ipse quoque in hac rerum atque exemplorum non modo ueterum rerum etiam recentium uarietate cognoscenda, cum primis delectaris, quàm maximè gratam fore, tum uero cæteris omnibus, eodem studio eodemque desyderio incensis & affectis, summam quandam & uoluptatem & utilitatem allaturam esse. Et ut nihil hac nostra diligentia consequamur, illud tamen spero me apud quorundam animos atque cogitationes effecturum esse, eáque etiam non tenuis propositi mei pars fuit, ut uel ipsi aliquando eodem exemplo ad cæterorum in eodem genere uitas tradendas ac describendas animum adijciāt, uel in ijs, quas ab alijs descriptas ac traditas amplius inuenissent,

colligendis, & in simile aliquod corpus redigendis, meliorem aut parem certè operam aliquando ponant, quodque à nobis in hac præsenti æditione omissum aut neglectum fuit, sua in proprio aliquo opere industria ac diligentia expleant atque illustrent. Benè uale. Ex Augusta Vindelicorum, in itinere, IIII. Id. Maij, Anno M. D. XXXVI.

QVO-

QVORVM VITÆ HOC LIBRO TRA- *ctantur*, *Elenchus*.

ITALI.

GERMANI.

ANGLI.

VIRO.

VIRORVM QVI

SVPERIORI NOSTROQVE SECVLO, ERVDITIONE & doctrina illustres atq; memorabiles fuerunt, Vitæ.

VITA CLARISSIMI

VIRI FRANCISCI PETRARCHÆ, PER HIERONYMUM Squarzaficum Alexandrinum composita, ad magnificum patricium Petrum Contarenum.



VANQVAM non sum nescius Francisci Petrarchę vitam haud facilè scribi posse, tamen onus hoc aggrediendum mei muneris esse duco. Fateor multos illam scriptitasse, sed multa sibi conuenientia, seu negligentia, seu quia nota illis non erant, scripta non esse conspexerim. Et tam caliginose nonnulla referuntur, vt illum quem illustrare uoluerunt, non seruato scribēdi ordine, obscurū potius reddiderint. Itaq; indolui ipse mecum uicē tanti uiri, eumq; ut qui literas latinas p mille annos sopitas ad nos reuocauerit, sic obliterari, ferre non potui. Et sicuti illius cogitatio multarum rerum nouarum & ueterum nunq̄ ieiuna fuit, sic nos etiam pro uiribus omnes uitæ eius partes attingemus, præsertim quæ memoratu digna videbuntur. Fuit igitur Franciscus Petrarcha genere Hetruscus, Florentinus, origine antiqua, & fortuna mediocri, patre Petrarcho, matre Læta, & ad inopiam uergēte. Fuit in ea ciuitate Scriba reformationum, quod officium cum dignitate multos exercuit annos. Sed cū factiosis (quibus semper ea ciuitas plena est) à quibus Dantes Alchierius paulo ante pulsus fuerat, in suspitionem uenisset, unà cū uxore exilio mulctatus, Aretium se contulit, quæ hunc ibi in exilio filium concepit & peperit. Natus est anno à natali Chri-

Florentia semper seditiosis plena

stiano supra millesimum trecentesimum quarto, xiij. Caled. Sextil. ad auroram, die lunę, & in festo S. Margaretæ, tanto matris labore & discrimine & (ut uerbis suis utar) ut non obstetricum modo, sed medicorum iuditio diu exanimis haberetur. Tunc Cæsareos fasces Albertus dux Austriæ inter Germanos potens habebat. Primum ibi annum, & non integrũ suæ uitæ egit. Mater, deinde multorum nobilium precibus exilio reuocatur, infantulum in uillam paternam secum detulit, loci nomen Anchises, in agro Florentino, xiiij. mil. pass. procul à ciuitate. Alter autem filius Ghirardus nomine, quia maior erat uatu, cum patre remansit. Sperabant exules (quorum magna pars Aretium cõfugerat) in patriam reuerti. Ferebatur Albertus Austriæ dux, quem suprà nominauimus, Italiam petiturus, & Ghibellinam factionem quam propitiam sibi habuerat, in sedes paternas repositurus. Petrarcha cum matre ruri commemoranti, usq; in annum septimũ enutritur, Petrarchus pater uidens in patriam reditũ incassum iri, Rure reuocata uxore & filio, Pisas se transtulit, sed prius tota Tuscia circumuagatus. Ferebatur puellus præualidi cuiusdam iuuenis dextra, pannis obuolutus, ne tenellum corpusculum aliquo tactu offenderetur, & ut ipse dicit, nõ aliter quàm Metabus Camillam nodoso de stipite pendentem, ne periclitaretur, baiulabat. Sed iuuenis ipso in transitu Arni fluminis, equus lapsu pedis genu flectitur, & ille in dextris tenebatur, labitur, & dum sibi creditũ onus saluare nititur, propè uiolentia gurgitis submergitur. Erat igitur cum Pisas uenit, annorũ septem, octauũ illic egit, cũ tanta spe mirabilis probitatis, & laudis, ut ab oĩbus desyderaretur. Tantã ingenij famã pro indole cõsequutus est, ut inter æquales omnes excelleret, & rumores puerorum ab eo tanq̃ magno censore componebantur, tanto cum iudicio & maturitate, ut ab omnibus laudaretur. Erat facie pulchra & elegãti, oculi uiuaces ut coruscantes scintillæ, intuitus sapientiæ plenus, quo uigor re presentabatur & grauitas. Totum uero corpus pro ætatis initio decorum & solidum, sic singula correspondebãt mẽbra. Quid de eius mirabili eloquentia dicam, quæ tanta esse demonstrabatur, ut quibuscunq; rebus uoluerit, ea uti posset? Ordo & summa

Albertus Dux Austrie.

Anchises uilla.

Ghirardus Petrarchæ frater.

Metabus.

rerum

Ferum eius pueritiæ ista fuit, quæ deinde gessit explicemus. Petrarchus pater cognoscens in Italia uitam degi non posse, in Galliam cisalpinam proficiscendum est ratus, ut aliquid lucelli ad familiam nutriendam cõsequeretur, Nam mortuo Bonifacio octauo Ponti. Clemens quintus successor fuit, & eius sedem Auinioni posuerat. Omnes undiq; populi illuc confluebant, sic & ipse relicta Pisa, Auinionem perrexit, Et quia onus inerat familię, maritimum iter elegit, & nauigando haud procul Massilia naufragium passus, & parum abfuit quin cum tota familia submergeretur. In curia nouæ Babilonis (ut ipse ait) tabellionatus officium exercuit, (seu ut aliqui uolunt, mercaturam. Quæstus enim gratia Auinioni morabatur, Sed ob magnam hominum confluentiam, qui sedem Apostolicam prosequebantur, nec ciuitas illa tantę gentis colluuiei capax erat, proinde publico edicto cautũ fuit, ut quos haberet quisq; filios, pariter pueros & feminas, & cętera quæ incommoda uiderentur, proxima in oppida & uillas abduceret. Puer quoq; Franciscus Carpentorias mittitur, quod Auinioni ad Orientem proximum est. Sed dum in hoc oppido per quatuor commoratus esset annos, in quo quidem tempore literas primum libare cœpit, inq; his duabus urbibus Grammaticam Dialecticam, atq; Rhetoricam, quantum in scolis percipi potest, edidicit. De cuius ingenij acrimonia præceptores admirabãtur, ut aliquod diuinum in illo intuerentur, persæpe patri dixerunt: Te beatum reputamus Petrarcha, qnandoquidem filium ad oẽs disciplinas capessendas promptum habentem ingenium genuisti. Percrescebat tunc temporis Dantis fama, & iam nõnulla sui libri demonstrabantur capita, quæ illum magnum & scientissimũ uirũ per ora doctorum hominũ uolitare faciebant. Franciscus illũ ęmulabatur, & incredibili ardore studiorũ eius incẽdebatur. Inde ut Iurisconsultus euaderet ad mõtem Pesulanum (famosum est ob literarum studia oppidum Galliæ Transalpinæ) patris iussu, ut legibus studeret, & ius ciuile per quatuor continuos annos audiuit, præceptores habuit Ioannẽ Calderinũ Bononiensem, & Bartholomeũ de Ossa patria Bergomenses iuriscõsultos consumatissimos, à quibus diligebatur, Sed parum ipse le-

Petrarcha cũ patre in Galliam. *Petrarcha naufragiũ passus.* *Ro. Curia noua Babilon.* *Carpẽtoria oppidum Galliæ* *Dantes.* *Io. Calderinus.* *Bartholomeus de Ossa.*

autem quæ de filio ferebantur, non placebant, quanq̃ laudaretur, sed excandescens ira, Bononiam pergit, & filio diris uerbis increpato, quid Ciceronẽ? quid Virgilium? quid scriptores histo riarum, & poëtas deniq; omnes sibi facere posse dicebat, quum ad sequendas opes non ualerent, sed ut fabellæ & somnia esse, Iuri autem ciuili studeret, quod amplissimum inde honorem & fructum haberet, hortabatur, & commonebat. Postea ignem ac cendi iussit, ut quotquot filius haberet libros Ciceronis & poëtarum, omnes combureret, & cum iam aliquos ira igni mandasset, cum Rhetoricam Ciceronis, & Virgilij opus manu teneret, ut in flammas mitteret, non amplius ferre potuit egregius iuuenis innocuos talem iniuriam pati, genibus flexis, lachrymisq; precibus admixtis, ut tantun nephas ne faceret, & à tanta indigna re abstineret, & si quid esset peccatum à se, non ab illis claris uiris pœnas exigeret exorat, obtestatur, adiurat, patrem amplectitur, osculatur, pollicendo non amplius illos legere, sed studiũ sibi mpositũ sequi. Ex ijs patris iram placauit, atq; deinde quoad uixit pater, iuri ciuili diligẽtius operam dedit, Solebat ipse admodum senex hanc historiam iucundissimè narrare. Cum secundum & uigesimũ haberet annũ, matrẽ amisit, de qua tanto dolore cõsternatur, ut per aliquot menses stetit, quòd consolari non poterat. Non defunctæ matris transacto anno, patrem diem clausisse extremum audiuit. Indoluit satis, sed cum sciret semel moriendum esse omnibus, & resoluendum unde manauimus, cum imbecillem hominis statum longa meditatione cogitasset, eo mœrore se æquiore animo sustulit. Cum sui iuris factus esset, studia legum quæ oderat, posuit, & quos amabat poëtas & oratores in manus sumpsit. Bononia igitur pfectus, Auinionẽ redijt, adiutus uiatico à Thoma Siculo Mesenensi, a quo tanta prosequebatur beneuolentia & amore, ut illum non secus quàm fratrem baberet. Ibi iam latè cognoscebatur per epistolas multas ad amicos scriptas, familiaritas eius a magnis uiris expeti cœperat, Audientiũ quidẽ animos incitabat fama eius, tanta erat ingenij eius magnitudo, tanta rerum humanarum ob id quod legerat diligentia, ut nihil quod esset memoratu dignum ignorasse uideretur, & non minus de ijs

Petrarchæ pater oratorum ac poẽtorũ libros igni tradidit.

Petrarcha ad musas redijt.

Thomas Siculus.

iucundè, quàm subtiliter disputabat, ex quo euenit, ut quo maior quisque esset in curia, eo magis affectaret notum hūc amatūque habere. Iacobo & Ioanni de Columna carus in primis fuit, ij fratres in curia uersabantur, & apud Pont. Max. tum nobilitate generis, tum prelaturæ ac rerum ecclesiasticarum notitia magni erant. Ioannes Cardinalis, Iacobus Luberiensis episcopus erat, à quo in Vasconiam, quę antiquitus Aquitania dicebatur, ductus est sub collibus Pyreneis, ęstatem prope cęlestem (ut ipse ait) multa & domini & comitum iucunditate transegit. Regressus in domo Cardinalis per multos annos stetit, non quasi sub domino, sed sub patre, imo ne id quidem, ut Paulus Vergerius ait, sed cū fratre amātissimo, una secum, & in domo eius propria fuit. Post hæc animus sibi persuasit, ut plura uideret, unde à saltu Pyreneo alpibusque, qui Rheno & Rhodano continentur. In qua quidem peregrinatione multa uidit, multa collegit, plurima notauit, Et quod summopere delectauit, Parisiū uidit, quidue fabulosum quidue historicum de illa urbe diceretur intelligere uoluit. Principes uero quos in ista peregrinatione uiderat, benignē ab oībus suscipitur, ubique fama prænuncia de eius noīe conspicuū illum faciebat, & apud omnes amplè & liberaliter habitus est. Deinde Romā uetustatis eius urbis cōtemplandæ causa, profectus, nam usque ab infantia urbem illam uidere flagrauerat, magnitudinēque eius, & omnem uetustatem quæ superest, diligenter contemplatus est, à magnanimo illius familiæ genitore Stephano de Colūna susceptus, & in tāto honore & amore habitus ut nihil suprà. Inde uero Auinionem regressus, & tædio curiæ affectus, cum solitudinem locumque quietis exquireret, & operam tandem rebus scribendis daret, & liberius ocio frueretur, incidit in uallem quam incolæ clausam appellant, locus quidem paruus, sed percōmodus, ad quam desyderabat uitā solitariam perducendā, quindecim mil. pass. ab Auinione distantem, in ea fons pulcherrimus fontium oritur, in ea cęli serenitas quædam, & iucūdus aspectus, Sorgia fonti nomen est. Hanc igitur ad uallem se librosque suos, & sarcinulas omnes ad uictum necessarias detulit, complures annos in ea commoratus est, multaque aggressus de literis, tum legendo, tum scribendo, tum componendo. hic Bucolicum carmen,

Paulus Vergerius.

Sorgia fōs.

Petrarchæ scripta.

hic de uita solitaria scripsit, ibi etiam de Scipione Africano illo superiore poëma aggressus, cui de subiecto nomine, Aphricæ nomen dedit, de quo post dicetur, illic denicq; ut Vergerius scribit, quicquid ferè omni ætate composuit, aut perfecit, aut incepit, aut scribere cogitauit, eo fuit in loco. Captus etiam dum sic staret amore Lauretæ, quam ipse ampliato nomine Lauram uocat, & ardenter illam amauit, & multa carmina & rithmos in eius laudem composuit, & undicq; quantum ingenij ualuere uires in omni genere uirtutis illustrem reddidit. Harum igitur rerum merito non ab hominibus solum, sed à principibus noscebatur. Fama eius, ubicq; erat sparsa, ut uno nãcq; die, mirabile dictu, iã à duobus disiunctissimis ac illustribus locis Roma & Parisio literæ uenerint, quæ ad percipiendam lauream poëticam uocabant ut quasi de industria hæ duæ clarissimæ in terris urbes hoc isto de honore certarent. De Parisio gallici nominis princeps & scriba, qui in ea regia urbe pręerat studio, ex urbe uero senatores utrincq; in hanc sententiam exhortationes & preces scribebant, ut quæ iure optimo deberetur ei, ac poëtis dari soleret, eam apud se lauream sumeret, Princeps & Scriba, ut Parisio: senatores, ut Romæ sumeret, multis persuasionibus hortabantur. dubius ipse ad quos se flecteret perdiu fuit. Tandem Columnensium consilium secutus, urbem Rhomam præponendam esse constituit, Non enim deerant, qui Parisium ob magnitudinem studij, ac regiam sedem præponendum esse censebant, sed Rhomã præposuit, quia imperij nomine pollebat, & in ea etiam poëtæ donati laurea permulti essent. Igitur dignum prius hominem quærens cui ingenium suum excutiendum committeret, duxitcq; authoritas Roberti Regis, iuitcq; Neapolim ad illum summum regem & philosophum, non minus literis quàm regno clarum. Nam tantæ erant in amplissimo rege ut tantæ rei iudex optimus esse posset. Necq; munus oblatum inuitus ipse suscepit, sed magni fecit se cunctis pręponi, & electũ esse tanti uiri iudicio sicut prę oĩbus ipse peritus & idoneus uideretur, & insolitã admirans ingenij fiduciam. Tandem pro quo uenerat certo deputato die, & à meridie in uesperis eum tenuit. Crescente materia

Lauram amauit Petrarcha.

Robertus rex Neap.

unius diei tempus breue apparuit, duobus diebus sequentibus idem fecit. Sed post innumeras uerborum collationes disputationesq; cum de poëtica sublimitate, tum de historijs, tum de eloquentiæ facultate, tum de rhetoricæ partibus, grauiter & peritè in omnibus se habuisset, die quarto dignum eum laurea iudicauit, & librum Aphricæ ostendit ceptum magis quàm perfectũ opus, & multis hinc inde carminibus decantatis, ut admiraretur rex, seq; tedere permultum ac uehementer dolere fateretur, q̃d dum iuuenis esset studijs illis operam non dedisset, & librum nõ parua cum gratia petijt, ut noĩ suo inscriberet, & persuadere etiam nõ destitit, ut Neapoli lauream sumeret, sed à suo proposito flectere non potuit, Romam ex ordine laureãdum prisco de more regijs cum literis ac legatis ad senatum misit, quibus iudicium suum magno fauore professus est. Vrbis tantum senatores Vrsus Comes Anguilariæ, & Iordanus de filijs Vrsi erãt q tanti regis freti iudicio ac testimonio apꝓbato, tũ ipso in capitolio summa dudũ Romani imperij arce, cũ celebritate & letitia ciuitatis grandiq; conuentu nobilium & peritorum, qui undiq; ad istam rem uisendam honorandamq; uenissent, ac frequentissimo populo Rhomano approbante, Petrarcha noster, id primum è mora longa & pulcherrima oratione petens, declaratur à senatoribus his esse historicum & poëtam, deinde corona poëtica, ut prisci mos erat, coronatur, & ad ampliandum munus, ciuitate, acclamante populo, donatus, & conuenienti (ut gratias redderet) habita oratiõe cum magna hominum nobilium caterua ad ecclesiã B. Petri Apostoli profectus, in quo quidem templo cum deuotione & reuerentia coronam tholo applicuit, ubi per multos pependit annos. Fuit hoc ut ex suis epistolis coniectare licet, natiuitatis suæ anno septimo & trigesimo Idib. Apri. quo ecclesia celebrat sanctũ resurrectionis pasca, de qua & carmina & soluta oratiõe extant epistolæ. Hic honor per multa secula desuetus, etsi multum fuit decorus, ita & plurimũ ei quæsiuit inuidiæ, Cuius multorum maleuolorum dictis, alijs aliud obijcientibus, sed impatiẽs sui nominis detractatiõis, in omnes stili acie acriter ultus est. Laureatus uero quæ dixerit, quæ fecerit, apud quos fuerit, & si memorari

Vrsus Comes Anguilariæ.

Petrarcha Ciuitate Romana donatur.

Petrarcha anno ætatis xxxvij laureã accepit

morari sua cum laude omnia possent, tamen uereor, si recensue ro, ne legentibus plus tædij, quàm gratiæ sim facturus. Cum plura enim loca studio peragrauerit tum uidendi, tum gratia si bi usq; inueniendæ sedis obiuit, quippe itinera eius, mores, ac libros quos composuit paucis ac summatim expediam. Primum igitur ut lauream sumpsit ex urbe profectus est, ut Galliam transalpinam peteret ad Ioannem Columniensem Cardinalem, sed Parmæ retentus ab illorum de Corrigia, qui tunc ciuitatem illã gubernabant, & aliquantulum illic exegit, ut in una suarum epistolarum ad dictum cardinalem scribẽs ait: Hodierno die, quod tibi gaudiũ quoq; significo, ductu & auspicijs amicorum tuorũ de Corrigia Parmam ingressus sum. Hic ergo precibus eorum uictus, quibus ueniam accessuram ipsi sperant, & ego non dubito, æstatem agere animum induxi, Iurant enim præsentia mea admodum egere, quod indulgentiæ, non necessitatis esse certũ est. Et ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus (ut aliquid sibi conferre uiderentur) designatur, Clericalem quidem à puero duxit uitam. Et hic primum memor sollicitusq;, ne indignè suscepti honoris ingratus uideretur, & cum non urbanis strepitibus, sed siluestrib. silentijs delectaretur, sicuti ille, qui nec legum aut Reip. curis, sed solitudini & ocio natus esset, elegit solitarium locũ trãs Enciã amnem in Regij Lepidi finibus, & plana sylua dicitur, cũ Musis amœnitate loci captus redijt, & ad intermissum studium Aphricæ se contulit, sicq; feruore animi, qui sopitus uidebatur excitato, modo in solitudine, modo Parmæ pluribus continuatis diebus, finem operis imposuit, sed reuidere postea quod sibi minime honoris fuit, neglexit. Inde rursus ad fontem Sorgiæ, & solitudinem transalpinam regressus, amore Lauretæ ductus, in cuius laudem multos composuit rithmos, tanta cum grauitate sen tentiarum & uerborum eruditione, ut antecessores & fui tempo ris omnes superarit, & usq; in pręsentem diem facile princeps ap pellari potest. Interdum supra rithmorum stilum grandiloquus efficitur, tamẽ in affectibus amatorijs explicãdis est præcipuus, &, ut Paulus Vergerius scribit, habuisse à Colutio salutato, qui dicebat ab ipso Petrarcha audiuisse melius se omnia quæ scripse-

Petrarcha archidiacon. Parmẽn. ecclesiæ.

Entia amnis

rat facturum, præter eius in lingua uernacula scripta, ubi ingenué fatebatur seipsum in illis uicisse. Benedictus qui Clementi in pontificatu successit, ne tãtus amor uacuus haberetur, ut illam in uxorem acciperet persuasit, & ut facilius abduceretur, concedebat beneficia teneri posse, & alia etiam insuper erogare. Sed Petrarcha, qui animum procul à nuptijs habebat, uim tanti amoris pro coniugio amittere non debere respondit. Nam quæ de ea in dies dicere cogitabat, cum usus illa fuisset, omnia essent omissa. Laureta quæ monstrari digito gaudebat, matrimonium libenter contraxisset, quia in delicijs teneri minimè uerebatur, sed opinione frustrata alij nupsit. Sed interim extincta est illa Colũnensiũ gloria, sed nimium caduca familia, quorum interitu tãto mœrore cõsternatur, ut mori secum uoluerit, quàm diutius esse in uita, Dum in Curia in precio esset, undiq; à principibus, & a Pontifice pollicebantur honores. Erat soror Petrarchæ, quæ iã duodeuiginti habebat annos, quæ Auinioni, ubi orta, cum Ghirardo morabatur, eleganti forma, insignis moribus, & uirtutibus prædita, cuius pulchritudine & forma perditè deperibat Pontifex, ut illa potiretur multa fieri fecit experimenta. Tandem cogitauit premijs & honoribus Petrarcham in suam trahere opinionem, Cardinalem se facturum promittit, dummodo illa suo concederetur arbitrio. Franciscus qui in omni re Deum præ oculis habebat, cui nihil est occultum, ut ille qui nihil conniuere, nihil fingere, nihil dissimulare didicerat (ut debuit) ira commotus, & id quod lingua, fronte, animo habebat, respondit, tam fœtidum galerum capiti non esse ponendum, sed fugiendum, abominandumq; omnibus tanquam nephandum & dedecorosum. Et si reuerentia nominis quo uices Dei in terris gerebat, non teneret, calamo tantæ rei indignitatem se uindicaturum, & fecit prout Philelpho placet in una sua morali cantilena, quæ incipit, Io non uo piu cantare como solea, Nihilominus Pontifex furoris impaciens, alterum fratrem Ghirardum tentare cœpit, qui paucis muneribus captus, sororem cõcessit, quo facinore audito, & ecclesiam dei uidens per abrupta uitiorum sic trahi, Auinioni au-

Benedictus Clementis. Pape successor.

Petrarche soror.

Pont. M. facinus.

aufugit, Italiam uersus ire cœpit, Frater pœnitentia ductus nupta sorore, sanctæ religionis habitum quæsiuit, & Carthusiensi ordini in conuentu de Materno, qui est prope Massiliam rebus mũdanis reiectis, se deuouit. Ipse cum Parmæ, ubi Archidiaconus præerat, tum Veronę cum dominis scaligeris, tum Mediolani cum principibus uicecomitum uersatus, & in precio & reuerentia magna ab omnibus teneretur, & persæpe euenit, & cum Ioanne illo magno, qui Mediolani dextera pastoris, gladium sinistra gerebat, in prętereundo non parua fuit contentio, quis ipsorum præcederet, Venetijs cum Andrea Dandulo, Cum Michaele Gelso, & Marino Faletrio Venetiarum ducibus, & cum alijs multis patricijs, & doctis uiris haud paruam duxit consuetudinem, ut ex epistolis suis & aliorum multorum uideri potest, habitauit in domo (ut ipse scribit) de duabus turribus, ubi nunc Lucas de Molino quondam Andreæ habitat, & undiq; oblati erant honores, quos recipere recusabat, quia nihil magis illi quàm pompa displicuit. Cum ubiq; carus habitus esset Iacobum Carrariensem iuniorem Paduæ dominum a quò iamdudum per literas & per nuncios usq; transalpes, & per alia Italiæ loca, ut in suam traheret amiciciam requisitus fuerat, adire uoluit, & uidere quid sibi hæc magni & ignoti uiri tanta uellet instantia. Itaq; Patauium profectus, à quo ut ipse ait clarissimæ memoriæ uiro, non humanè tantum, sed sicut in cœlo (ut de Ambrosio inquit Augustinus) recipiuntur animæ, acceptus fuit. Qui sciens clericalem eum uitam usque à pueritia tenuisse, ut facilius illum retineret, Canonicum Paduæ fieri fecit. Et quàmdiu ipse dominus uixit, quod breuissimum tempus fuit, secum habuit. Sed eo terris sublato, ut dolori remedium daret, ad quem amabat fontem Sorgiæ reuersus, ubiq; liberaliter excipiebatur. Pontifex uero motu proprio, honores & magnos quidem offerebat, sed Poëta ocij potius & libertatis quàm honorum & dignitatum amator, gratias summo Pontifici egit, & inde in Italiam regressus est. Quamobrem obiectũ est ei à maledicis inconstantiæ uicium.

Quod cognoscens inuidentium maledicta, ut uideri se sibi & cæteris qui recté iudicassent, constantissimum, quod eius semper propositi fuisset nunquam quieturum quousq; locum quietis inuenisset, Hoc enim erat cur oblatos honores recipere recusaret. Aretini tanti fecerunt, ipsum apud eos esse natum, ut cum semel illuc casu ueniret, illi obuiam iuerint cũ pallio & crucibus & sanctorum reliquijs & pro immortali memoria ac ciuitatis ornamẽto statuerint domum in qua natus esset (uicum appellant) hortum & Petrarchæ domum perpetuò appellari, & quo erat statu semper de publico conseruari. Nec Florentia ciuem spreuit suum, sibi enim non petenti neq; speranti, & redeundi ad patriam fecit potestatem, ita quæ fiscus habebat, omnia patris bona restituit. Videre sedem paternam tamen uoluit, & cum Boccatio Florentiæ amiciciam contraxit, tanta enim fuit, ut si una illarum anima duo habuisset corpora, tanta fuit uis eius amoris, ut alterutram faciem in gemma annuli gestaret, ipso dicente in una suorum uersuum epistola. Dulcis amice uale, tua te mihi semper imago præsens mecumq; sedet, mecumq; quiescit. Tuq; redde uices. Hinc inde per diuersa tempora uagatus, cum iam uergeret in senium, Patauij sedem fixit, quo & magnificentissimo & prudentissimo uiro Francisco Seniore eius Iacobi filio per paterna uestigia & honoratus & dilectus. Arquade rure montano inter Euganeos montes, ut in solitudine esset, manere noluit. Quo quidẽ in loco multa scripsit, plurima uidit, & maiora meditatus est. Accitus quandoq; Venetias ueniebat, tanquam rerum nouarum cupidus, & ut amicos reuiseret, sed ob quorundam pueriles de literis temerariasq; insultationes, ut illorum ciuium mos est, amplius manere neglexit, Patricios qui habenas regiminis habebant, semper in magno precio habuit, ut abundè suę demonstrant epistolæ. De magia autem non scriberem ni ipse referret. Fuit illa tempestate poëticum nomen ita inuisum, ut qui illa studia sequeretur, magum, sortilegum, & hęreticum esse dicerent: Erat tunc hęreticæ prauitatis inquisitor quidam Marcus Picenus de Solipodio oriundus, frater ordinis prędicatorum, rudis & bonarum omnium literarum omnino expers, qui temerario ausu in nõnullos

Florentiæ Reip. liberalitas in Petrarchũ.
Boccatius.
Euganei montes.
Poëtica infamis.
Marcus Picenus.

los injicere manus tentauit, & ni prouisum fuisset, maxima hinc oriri uidebantur scandala, sed cognita illustrium hominum scientia & fratrum auaricia, quæ à zelo ueræ religionis non perueniebat, Solipodius tanquàm stolidus, & bonarum disciplinarum ignarus explosus est, Non tamen sine labore se purgauit Petrarcha, senex ruri commorabatur, & studijs præsertim sacris cum potuit uacauit. Cum iã septuagenarius minus una die esset, Apoplexiæ morbo, quo interdum uexabatur, in sinu doctissimi uiri Francisci Asterici spiritum suo creatori reddidit, Mors quidem eius magna omnium literatorum iactura fuit, in illa rurali ecclesia tumulatur, in loco humili & obscuro, in quo ipse dum uiueret Capellam in honorem beatæ uirginis constitui uolebat. Postea Frãciscolus de Borsano eius gener non est passus ut in tam uili loco sua remanerent ossa, sepulchro marmoreo extructo in area ecclesiæ, corpus refossum, denuo funere celebrato, in illo claudi tur marmore, cum tali epigrammate, ab ipso dum uiueret composito: Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarchæ, Suscipe uirgo parens animam, sate uirgine parce, Fessaq; iam terris cœli requiescat in arce. Obijt quarto decimo Calend. Sextil. anno à natali Christiano super millesimum trecentesimum quarto & septuagesimo. Vir quidem magnus omnibus seculis fuisset, sed suo mirabilis, qui inter tot uitiorum sordes & inter tantam ignorantiæ caliginem in clarum lumen & uirtutis scientiæ euaserit. Itaq; nunc de moribus eius agendum esse censeo, Sed prius facetia (& Hercle) uera, mihi narrata ab illo dignissimo & doctissimo uiro Iacobo Zeno, olim episcopo Patauino. Dicebat quendam rusticum ruri Arquade cum grauiter infirmaretur, Archipresbitero ad se accersito dixisse, uelle se de centum aureis ecclesiæ facere legatum, ut in sepulchro Petrarchæ imponeretur, Archipresbiter re audita, Patauium ad episcopum tendit, cui negotiũ exposuit, Zenus qui uerè episcopus fuit, quin Rusticum non laudaret, facere non potuit, quòd tanti clarorum uirorum existimationem faceret, quòd in magno sepulchro tumulari, & in miscendis ossibus nobilitari credebat, tamen inhibuit præsul, & sub graui censura, ne tanto facinori consentiretur, quia per

Petrarcha annos natus lxx. moritur.

Franciscus Astericus.

Franciscolus de Borsano Petrarchæ gener.

Petrarchæ Epitaphiũ.

Iacobus Zenus.

pecuniam sepulchrum uiolare non decebat, ad quod uisendum multi docti proficiscebantur, & cum hoc tantum facinus perpetratum foret, nomen in perpetuum fuisset omissum. Nunc ad mores ut diximus ueniamus. Fuit uenerabilis in aspectu, & maiestas quædam inerat, ut ipsum uidentes induceret, etiam qui eum non cognoscerent, solo tamen uisu reuerendum & sapientissimum iudicarent, quod uno potest comprobari exemplo. Scribit Iosephus Briuius Mediolanensis in suo panegyrico, cũ Petrarcha semel esset Mediolani in aula dominorum uicecomitum inter multos purpuratos & nobiles uiros, Galeaceus qui tũc dominus erat, imposuit filio, qui primus postea dux Mediolani fuit, tunc puer adhuc, ut sapientiorem de astantibus ostenderet, puellus oculis hinc inde uolutis, Franciscum adiuit, & manu apprehẽdit, & patri cum omnium admiratione monstrauit. Quid ab hominibus, cum à pueris eius cognoscebatur aspectus? Conuersatio eius honesta & iucunda omnibus extitit, ut nullus mœstus ab eo discederet, oculi non deformes, sed uiuaces. Visus adeo firmus & acer, ut sexagenarius literas etiam minutissimas legeret, nullo uitreorum oculis præsidio. Corpus habuit dexterrimum usq; ad senectutẽ, quod pinguescere cœpit. In fine apoplectico morbo (ut diximus) plurimum torquebatur, ob eamq; rem, qui famuli erant, liberum ab eo accessum habebant, consilia medicorũ adeo spreuit, ut nunquam eorum pharmacis uti uoluerit, naturam sibi magistram, Medicorum consilia uana esse dicebat, Aditus uero ad eum cum bene ualeret, nulli difficilis, nulla in eo superbia, nulla pompa. Irascebatur interdum, sed sibi potius, quàm alteri nocebat, beneficia obliuiscebatur nunquam. Amicicias quantũ potuit beneficio conseruauit, nihil illi optabilius, nihil gratius, nihil iucundius, quàm pro amicis rem agere & bene dicere, & omnia pro illorum beneficijs cum opus esset, postponere, ut nulli obesset summopere quæsiuit, & si quis sibi intulisset iniuriã æquo ferebat animo, nunquam uindictam habere uoluit, sed paciencia & obliuione cuncta sedare. Diuitiarum contemptor fuit eximius, non quod illas (ut ipse de se ait) non desyderaret, ut cæteri, sed curas & labores, quibus diuitiæ trahuntur, oderit, adeo ut su-

Mores Petrarchæ.

Iosephus Briuius.

Petrarcha iracundior

pra

pra uitæ necessitatem pro statu suo, cum posset amplas habere, cōtempserit, Famulicio modico usus, famulorum multitudines inquietum hominem facere aiebat, mēsæ apparatus nullus erat, tenui uictu & cibis uulgaribus uitam egit, plurimum fructibus arborū uescebatur, ut libidinē extingueret, quia ut de se ipse scribit, cum ad quadragesimum ætatis peruenisset annum, cum adhuc satis caloris esset & uirium, memoriam libidinis ita abiecit, quasi nunquam feminam cognouisset, aut uir esse desuesset, uinum dilutissimum bibebat, & sæpe frigida aqua sitim sedabat, stās sæpe cœnabat. Comessationes opulentas & lauta conuiuia prorsus abhorrebat: Pompa ei multum displicebat, non tantum quòd humilitati sit contraria, sed quia difficilis & quieti aduersa est: Auidissimus tamen honoris & gloriæ fuit, quæ res à magnis ingenijs haud facile separari potest, Nunquam sine socio cum fieri potuit, cibum sumpsit, Gratulabatur si ad mensam sedentis amicorum quispiam ex insperato uenisset, Iuuenis multum in libidinem pronus fuit, filiam habuit, quam Franciscolam nomine appellauit, ex qua nepotem & generum uidit. Sepultura eius cū literis marmore sculptis adhuc Taruisij conspicitur ante ostium ecclesiæ diui Francisci. Franciscoli eius gratissimi uiri impensa, ex qua muliere illam genuerit, haud compertum est, ni fuisset id quod orator clarissimus, & historicus facundissimus, Candidus December mihi narrauit, cum de eo Ferrariæ semel loqueremur, Magna consuetudo cum uiro illo mihi fuit, Dicebat audisse à patre suo, qui Petrarchæ contubernio usus fuerat, tempore quo Mediolani morabatur, elegerat pro solitudine sibi locum haud procul à ciuitate quod Linternum ad instar scipionis uillam nominari uoluit, nunc ab incolis corrupto uocabulo infernum nuncupatur, Mulier quædam illarum de Beccarijs pulchra quidem ad rus suum, quod parum ab isto distabat loco, æstiuis temporibus ueniebat, amore eius capta, hanc illi genuisse gnatam ferebatur, sed de hoc ueritas apud suum remaneat authorem. Quater in hebdomoda ieiunabat, sextam feriam pane & mera aqua transigebat, tonitrua & fulgura expascebat,

Somni fuit parcissimus, uestitus ferè semper dormiebat. In me-
dia nocte ut clericum decet surgebat, & quantum poterat diui-
num soluebat officium, deinde ad suos reuertebatur libros, aut le
gebat aut scribebat, quæ ordinatim ad studium pertinebant. Id
quàm maximè omni ætate uitauit, ne temporis quicquam amit-
teret, de ocio (ut Cato scripsit) rationem reddere se debere. Ad
doctrinam quamcunque uoluisset applicuisset ingenium, sed mo-
ralis philosophiæ cognoscendæ multum studuit, & artis poëticę
facultatis, historicos, oratores legit omnes, sed in Cicerone, Vir
gilio & Tito Liuio delectatus, in processu temporis poëtarum li
bris non nisi ad ornatum utebatur, Multum ad notitiam uetusta
tis incubuit, in historijs scribendis insudauit plurimum, sed mul
tũ illorum discordijs offensus, Sed annosior factus, sacris literis
incubuit, in quibus sensit non paruam dulcedinem abditam, quã
aliquando contempserat. Stilus eius copiosus est & magnus, in cõ
solando dulcis, in admonẽdo liber, Interdum iocatur salibus, sed
ubique restrictus, ut ille qui magis Senecæ densitatem quàm Cice
ronis amplitudinem imitatur, Vnde persæpe ex hoc recentiorẽ
Senecam ipsum appellauerim. Dicant quicquid uolunt inuidi,
eloquio fuit clarus & potenti, ut stilus librorum indicat, atque ue
rè dixerim: ille fuit, qui per tot sæcula exulantem, & iam penè in
cognitam dicendi facultatem in nostra tempora reuocauit, sum
mus doctrina, summus & eloquio. Scripta eius quocunque in gene
re habẽtur, ista sunt. De uitis illustribus, de remedio utriusque for
tunæ, de uita solitaria, de ocio religioso, de secreto conflictu cura
rum suarum, Liber epistolarum sine nomine, Itinerarium, &
liber rerum memorandarum, Comœdia una Ioanni Columnæ
inscripta, Duo magni epistolarum libri, uidelicet iuueniles & se
niles epistolæ, & hæc soluta oratione, duoque ad maternam siue
uulgarẽ linguam, Sonetorum libri & triumphorum, & rithmo
rum. Triumphos non emendauit, Nam ipso mortuo inueniun
tur in chartaceis suis in uno alligati fasciculo, nondũ exierant in
publicum, quia ultimam non habuerant limam, ut luce clarius
uideri potest, ut in triumpho de fama, in quo multæ replicantur
historiæ, quod uitium est maximum, Nam duo illa capitula ad
unum

Petrarchæ scripta.

unum redigenda erant, & alia multa addenda & resecanda. Bucolicum carmen in duodecim æglogas diuisum. Librum epistolarum ad Barbatum, & Psalmi pœnitentiales magnæ deuotionis pleni. hos omnes Paulus Vergerius uersibus his ita comprehendit: Illustres celebrare uiros, medicamina utramque Porrigere in sortem, tranquillæ munere uitæ Dicere, Franciscus potuit, tractauit anhelos, Ore potens triplici, materno stamine amores, Carmina pastorum sensus condẽtia miros, Cum caneret magnum gracili spirauit auenæ, Aphrica cum scriberet fausto rem nomine dignam, Multaq; præterea uario deprompsit ab ore, Vltima sacratis studijs dans tempora uitæ. Postremo de Aphrica libro pro huius poëtæ excusatione, dicam quod sentio, & perstringam id quod Vergerius in fine uitæ Petrarchæ scripsit, librum imperfectum esse eius demonstrat editio, quia ordo ipsius rei prout res se habuerit, non procedit, Nam si secundi belli summa spectetur, multa deesse conspiciemus, Vt Scipionis ex Hispania transitum ad Siphacem, Sed quia à plerisq; inter temeraria numeretur, fortẽ de industria poëta intermisit. Sed prẹter hoc neq; traiectionẽ exercitus in Aphricam, neq; castrorum Siphacis nocturnam exustionẽ, aut ut postea Siphax atq; Hasdrubàl aperta acie uicti sunt, neq; ut infidus rex tandem in suo regno à Massinissa & Lelio superatus & captus sit, sed hæc omnia ut Vergerius scribit ratio inducere potuit, cum supremam pugnam, quæ inter duos summos duces, scilicet Scipionem & Hannibalem fuit, descripturus esset, quæ bello finem posuit, ne similitudine rerũ lectorem offenderet, sciens uolensq; hæc omnia prætermisit. In ultimo quoq; libro, in quo plurimum sibimet loci fecit, summũ omisit, quod poni, ut annotata subscriptio demõstrat, debuisset, Sed hi defectus fortasse dicendi non sunt, qui cæterarum rerum splendore teguntur, & reliqui corporis pulchritudinem illustriorem reddunt: Sunt præterea, quod monstrat nõ fuisse correctũ opus, uersus dimidiati & imperfecti, ut est, creberrimè apud Maronem nostrum, aliquando & imperfectẹ sententiẹ, Sunt & malè mensuratæ syllabæ, tamẽ ipse in margine notauerat ut ex multis exemplaribus uideri potest, ubi signatæ conspiciuntur,

Sed ut omnia breui concludantur, constat iuuenem istud cœpisse Poëma, & in breui tempore quodam iuuenili ardore ductum ad finem perduxisse, quod si ad extremam perduxisset ætatem, quanto futurum fuerat excellentius nemo ambigit, nihilominus repertum est multorum documentis, & plenum poëticæ fictionis. Magna in eo est uetustatis, & naturæ cognitio, magna eloquentiæ uis, magna præcipiendi facultas, quod si ultimam imposuisset manum, seu limare non neglexisset, præclarum sanè euasisset opus. Nec dubito istam fuisse causam, quod malè de eo ipse in fine senserit, Nam cum semel Veronæ esset, & cum ad uidendum ipsum multi processissent uiri, & ut illi complacerent ad id quod loquebatur propositum, carmina suæ Aphricę cantare cœperunt, protinus cum audiuit, lachrymas emisit, rogans ne ulterius procederent. cum percunctaretur quare hoc faceret, respondit: Vtinam datum esset, ut istud opus abolere possem, profecto nulla res magis grata neq; iucunda foret, quàm illud proprijs manibus comburendum, Vergerius enim non minus clarè hoc demonstrare uidetur, allegat eius epistolam, quam scribit ad posteritatem, in qua de se deq; rebus suis scribit, sic enim de isto inquit libro: Raro enim pater aliquis tam mœstus filium unicum in rogum misit, ut ego librum illum quem mihi multo labore genueram, & si scias quisquis hæc legas quanto id fecerim dolore, & omnes meos labores eo in opere perditos acriter tecum uoluas, uix ipse lachrymas cōtineas, hæc enim scripsit anno uno anteq̄ moreretur, Sed quicquid fuerit, lectorem æquum meliorem partem tenere decet. Hæc enim sunt mi Contarene dignissime, quæ de uita eximij nostri Petrarchæ haberi potui, scias uelim nihil me temere scripsisse, secutus enim sum Paulum Vergerium, Cichum Pollentenum, Leonardum Aretinum & Philelphum, & eius authoris scripta quantū potui, è meo marte nihil positum esse scias, Si quis iniquus fortè lector reprehenderit, faciat meliora horū ut nomen tanti uiri clarius elucescat. Ego hanc uitam tibi mitto quæ cum Priscis ullis clarissimis uiris comparari potest, ut meam erga te fidem & obseruantiam aliqua ex parte notam facerem, simulq; intelligeres amare dignitatem tuam, quam indies crescere mi-

minimè dubito, Has lucubrationes quas inter tot meas tribulationes & angustias scripserim, sicut ille qui à maris latronibus in mari Pamphilio Perugia Buscaglino duce, qui olim Sicambri dcebatur, cum è Cypro uersus Italiam nauigarem, de omnibus quæ possederã spoliatus existo, & nunc ab effera gente Gallorũ bis factus sum præda, tibi quales sunt mitto, Rogans cum ab occupationibus fiscalibus, quibus indies iussu Serenissimi Ducis detineris, ac etiam post quotidianos ciuilium defensionum forensiumq; labores, quos ob tuam peritiam, bonitatem, iustíciam, & doctrinam exerces, ut oppressos erigas & adiuues, quæ est ut inquit Cicero, melior in hominum genere, quàm eorum qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruãdos arbitrantur, præsertim ijs qui iniuriam patiuntur, quanta sit tua æquitas & iustitia ab omnibus abundè cognoscitur. Cum igitur paulũ ab his uacaueris, rogo, oro, atq; contendo, ut hæc mea legere non dedigneris, & si abs te comprobari sensero, me aliquid boni fecisse reputabo. Vale literatorum decus.

PII II. PONT. MAX. PER IOAN. ANTONI. CAM. EPISCOPVM Aretinum, Vita.

Pij uita.



IVS secundus originem duxit ex Sena, celebri Tuscorum urbe, familia Picolominea nobili ac peruetusta, Patre Siluio Posthumo. qui aliqñ militares duxit ordines. Matre Victoria, æque nobili & fœcunditatis eximię femina, quippe duodeuiginti, & ex his gemellos aliquot puerperijs edidit. Natus est quintodecimo Kalend. Nouembris, Corsiniani, quod oppidũ duo & xx. milia passuum distat à Sena, in fundis gentilicijs, quo parentes paucis ante annis se receperant studio partium à plebe deiecti. Nomẽ puero Aeneæ Syluio inditũ, in memoriã aui, Prima rudimẽta Corsiniani peregit admodũ puer, Senę propinquis commendatus celeriter & in poëtica, & in oratoria profecit. Ius ciuile sero amplexus & lentè, breui omisit, natura ad poëticam inclinatiore. Initia famæ ex Rhytmis comparauit, Hetrusca lingua editis, Mox oratione & uersibus laudari cœptus, multa scripsit ad æmulationem æqualium, inter quæ & leuiusculæ quędã fabellæ cum excidissent, aliquando postea supprimere conatus minimẽ potuit, Italia tota diuulgatas. Pertæsus rerum domesticarum, simul & quærendę gloriæ cupidus, Basilęam Heluetiorum urbem contendit, quo in loco diu antea indictum concilium tũc aduersus Eugenium Pontificem habebatur, Itinere obliquo & perdifficili propter ortum cum Florẽtinis finitimis bellum, quo metu nauigaturus secundum tractum Ligustici littoris, cum Populonia soluisset aduersam incidens tempestatem, Corsica omni ac Sardinia ui uentorum circumactus, in Lybiam usq; propellitur, Reuectus in Ligusticum pelagus, & expositus in continentem, cum diuersoria deessent, tædio rerum nauticarum. & recenti periculo territus, pernoctare sub dio quàm redire ad nauẽ maluit

Concilium Basiliense.

Nauigatio Aeneæ.

fuit,reliquum iter per Sennam atq; alpes egit. Basileę quidem haberi in precio & salutari ob ingeniū cœpit. Sed rebus minus quā sperauerat succedentibus,in Italiam reuersus est,nec diu perstitit,secutus Eugenij legatos,repetitaq; rursus Basilea,Coloniam Agrippinam secundo Rheno adnauigauit,breuiq; ibi commoratus,descendit Attrebates Belgarum urbem, quem in locum Gallorum reguli Britannorumq; conuenerāt. Hinc ulteriorem in Britanniam nunc Scotiam missus ad regem aduersus citeriores Britannos,qui paci aduersabantur,sollicitandum, ad Calexi num ingressus oceanum, graui exorta tēpestate penē demersus ex cursu à nostro cœlo in intimum oceanum perpulsus xij. dies ad occasum nauigauit,reiectus tandem in Britannicū littus agnitusq; à regijs speculatoribus, ac prohibitus ulterius progredi, remetiendo quoq; oceano duas subiuit tempestates, quarum altera dum Scotiam petit,in Noruegiam pellitur,ex eo loco delatus in Scotiā,ꝓpellere quidem ad bellum regem non potuit,effecit tamen ut legatos mitteret,qui de pace agerent,& auxilia Britannis deinceps non administraret,ipse quoq; duobus asturconibus donatus à rege est,unione adiecto,quem matri destinaret, Hac In sula uotis soluendis,quæ inter fluctuum æstus uirgini matri nūcupauerat,initium eius morbi contraxit,qui dolore articulorum permansit ad uitæ exitum. Glacie decem milibus passuum nudis pedibus ad phanū usq; calcata,ut redire in oppidū nō aliter quā lectica potuerit. Scotia decedens non ausus potenti se committere oceano,habitu mercatoris repetita Britannia, regios speculatores astu elusit. Basileæ xij. uiris qui conuentui præerant coaptatus,concilium ut Papiam traduceretur frustra suasit,Italis Florentiam,Germanis Vtinum,Gallis Auinionem præferentibus. Munia curiæ obiuit fere omnia. Primum scriba, mox abbreuiator maior designatus. Postremo & inter deputatores cōscriptus etiam epistolis cōciliaribus præfuit,legationes præter Scoticam, quam diximus,eo in loco nouem suscepit,Ad Argētinēses tres, Ad constantienses duas. Ad Francofordienses totidem, Ad Allobrogos & Tridentinos Rhetios singulas,Profectus etiā in Noricos ad Albertum Cæsarem designatum,breui apud eum man

Attrebates.

Æneas legatus ad regem Scotorum

Æneas soluendo uoto morbū contraxit.

Æneas unus ex xij. uiris qui conuentui Basiliensi præfuerūt.

Octouiratus contra Eugenium institutus. sit, traducere in sententiam Basilięsium conatus, an potuerit, subsecuta statim illius mors incertum fecit. Octouiratum ad conterendam Eugenij dignitatem institutum recusauit, quanquã sępe oblatum haud legitimum ratus magistratum, quē tanta de re priuati instituissent. Felicem tamen Antipapam aliquandiu secutus

Felix Antipapa. est, à quo legatus missus ad Federicũ Cęsarem Alberto suffectũ, laurea donatur, quod poëtarũ insigne præcipuũ Germani habēt.

Laurea præcipuum insigne poëtarum Germanis. Mox & inter amicos Cęsaris relatus, adscriptusque secretarijs, haud multo post præfectus est, Ad ultimum ascitus inter consultores Imperij, inuidiam quanquam Italus inter Germanos breui superauit. Prima legatione Cæsaris nomine ad Tergestanos functus, seditiones in ciuitate exortas compressit, actis in exilium qui motum concitassent. Altera ad Eugeniũ aduersantibus amicis, quòd offendisse illum grauiter uidebatur, oppugnata toties ad Basilæam eius dignitate, Eo reconciliato, & rebus ex sententia confectis, diuertit ad patrem, ultimo iam confractum senio, nec enim deinde uidit amplius, paulo post mortuũ, Eugenij quoque Secretarius factus est absens, quo munere apud Felicem functus nondum se abdicauerat. Tertiam deinde obiuit legationē ad eundem Eugenium de duobus electoribus Cæsarum restituendis, quos illi Felici assensos, & grauia in illius dignitatem molitos, exautorauerat. Profectus est eadem de causa Francfordiam simul, ut neutralium conuentus dissoluerentur, hi erant qui dissidentibus cæteris, neque Eugenio, neque Felici parebant, uelu-

Neutraliũ conuentus. ti ad noua concilia atq; incerta spectantes, redijtq; iterum Rhomã ac rursus Francfordiam, de conditionibus acturus, itinere hyberno, & cui magnitudine niuium, ac ui excrescentium fluminum prope succubuit. Reliquijs contentionũ Germanicarũ tertia demũ legatione sublatis, exceptus est Rhomæ ob operã ꝓsper è nauatã oĩm ordinũ supplicationibus, Aegrotãti Eugenio, Germanos, quorũ opera uocatus in iudiciũ fuerat, reconciliauit secundũ suplicationem de rebus Germanicis. Præfectus est Tergestanis, rumore temerè orto de præsulis morte, Cõpetitoribus multis q ad subitum nunciũ coorti sunt, ab Eugenio repulsis. Mox cũ uiuere antistes nũciaretur, Hypodiaconus efficitur, Eugenio mor

tuo

tuo comitiorum custodiæ profuit iubente collegio, quòd uiro o-pus esset ad eã rem minime factioso, Nicolaũ qui Eugenio suffe-ctus est, multo habuit propensiorem, propter uetus in Germani a contuberniũ, in qua & ille functus legationibus fuerat Eugenij noĩe, Itaq; & confirmauit decretos ab Eugenio honores, & no-uos ipse addidit, Iusso qua die est coronatus auream crucem ante ferre, & consultantib. de religionis summa adesse, Profectum deinde Rhoma, certiore allato nuncio de Antistitis morte, id qđ Eugenius destinauerat, Tergestanis præfecit, ignarum eius rei donec in Germaniã peruenit, & Nicolai ad Federicum & ami-corum ad se literis rem cognoscit, Missus paulo post ad Medio-lanenses cohortãdos, ut mortuo Philippo duce sine legitima stir pe, Federico imperij iure se dederent, exclusus est, Erectis in li-bertatẽ ciuiũ animis, simul quòd Germanicis imperijs, repetita priorum temporũ memoria abhorrerent, breui deinde circum-sessis à Francisco Sphorcia Philippi genero, iussus iterũ redire, collegis ad Nouicomum metu subsistẽtibus, ipse magno cũ dis-crimine ingressus urbem, ciuibus in contionem uocatis, maio-rem partẽ eorũ perpulit, ut Federicũ acclamarent, Et cum armis quidem opressuros alterã factionem pollicerentur, recusauit, in dignũ, nec è legatione sua esse dicens in stabilienda iusto imperio ciuitate cuiq; uim fieri, fuitq; constans opinio mansurã in fide ci uitatem, si subuentum in tempore obsessis fuisset, mox legatiõe altera aliam excipiente, Neapolim missus author fuit regię affini tatis, Leonora Lusitanorũ regis sorore Alfonsi nepte Federico desponsata. Interea designatus est Senensiũ Antistes absens, q̃uis infensa nobilitate ciuitas aliũ postularet, Senæ oĩ reiecta pompa more maiorũ urbe agroq; lustrato redijt in Germaniã, quo tem-pore & matrem amisit, 68 annos natã. Cũ enim LadislaũPanno nię ac Boẽmię regem admodũ puerum fratris filiũ Federicus me tu insidiarum, & qđ regno ĩmaturus adhuc esset, atq; iniuriæ ob noxius, apud se educaret, adhibitis custodib. ne clã subduceretur, Boẽmi indignũ rati custodiri, arceriq; à regno regẽ coactis copijs bellum nisi dimitteret cõminabãtur, horum conatus statĩ cõpes cuit ratiõe adhibita, Cur ita fieri oporteret maxime iniecto metu

Nicolaus Eugenij successor.

Æneas Tergestanis præficitur.

Ladislaus Pannoniæ & Boẽmiæ rex.

ue-

ueneni, quo paucis post annis dimissus à patruo puer fraude Boëmica absumptus est, ueniente in Italiã Federico recedens ipse, ut cum ciuitatibus de transitu cum Nicolao de coronando Cæsare ageret, suspectus haberi Senensibus cœpit, ueritis ne spe uendicandi imperij Cæsarem ad mutandũ ciuitatis statũ impelleret eiectis popularibus, ac nobilitate ad pristinã libertatẽ restituta.

Qua de re inter se cum agerent, & facta eius dictaq; clam palamue explorarẽt, nec prodiere obuiã nec ubi domum uenit, frequentes salutauere. Cogitatum & de inferenda clam nece à potẽ- tioribus rumor fuit, Quamobrem Decemuiros adiens delere eã suspicionem frustra est conatus. Auxit inuidiam mortuus collega Fullendorfius, & in æde uirginis matris loco celebri sepultus, quam rem argumentum adesse iam recepti imperij quærebãtur, homine externo ueluti prodita libertate in ciuium sepulchra delato. Tum demum ut tempori cederet, Thelamonium se cõtulit, ueluti Leonorã excepturus ex Lusitania mari uenientem. Accitus inter hæc à Nicolao minimẽ paruit, ualetudinem caussatus, suspicionem tamen eius literis sustulit, quod uulgatum erat, constare inter coniectores, Nicolaum aut moriturum intra Kalend. Apriles, aut in uinculis futurum, periculum ex Federico portendi nouo imperatore, urbem armis uendicaturo, quo metu Nicolaus Federici aduentum extrahere in autumnum cupiebat, fatalem diem occupaturus, Sed Aeneæ literis confirmatus proposito abstitit. Leonoram comitatu regio haud procul à Pisis descẽdentem è naui Federici nomine primus excepit, quãquam ęgre ferentibus Germanis, qui aderant Federico propinquis. Pisas ingressos Florentini ex multitudine suspicione iniecta, cum depellere mœnibus uellent, eius gratia atq; authoritate ui abstinuerũt Idem ad Volaterras factũ, quòd hę urbes altera subacta armis, exposita uideretur ad omnem motũ nouitatis, altera in finibus sita esset. Senæ ad aream Pomerij sponsa Federico exhibita, orationem habuit perelegantem, quæ puellę Lusitanorumq; laudes cõplecteretur. Extat adhuc pro portis marmorea columna pompę congressusq; monumentum. Cum ciues aduentu Federici nobilitatem relegassent, armata undiq; iuuentute ad custodiam urbis, ut eos

Collega Aeneæ nobilis Fulledorfius.

Cõiectores

Leonora sponsa Federici Imp.

ut eos metu solueret, non obscura opera Federici discessum accelerauit, Ac tum demũ remissa suspicione & propinquis, nobilitateq; omni reuocata, ipse publico ciuitatis nomine legatus ad Nicolaum designatur, continenti itinere Federicum sequi iussus, in quo resalutãdis Cardinalibus, qui obuiam prodijssent, interpres fuit linguæ Germanicæ ignaris. Nicolaum primum adiens, cum omnia septa armis inuenisset, metu liberauit. Postridie orationem habuit de Imperatore coronando & uariam & plenam uetustatis, interpres & moderator omnium quæ inter Nicolaum & Federicum acta sunt, utriusq; in se gratiam auxit. Federico Neapolim ad Alfonsium coniugis auunculum eunte, Rhomæ substitit dolore pedum demoratus, simul ut regem Pannoniæ adhuc impuberem in aduentum patrui asseruaret. Orationes in reditu Cæsaris duas habuit, Altera gratias egit Nicolao & Collegio patrũ, Altera hortatus est ad bellum aduersus Turcas suscipiendum, Et posteriore quidem ita mouit, ut extemplo ipse legatus cum summa potestate ad Pannonios, Boëmos, Noricos, cæterãq; Germaniã destinatus sit, Cũ Florentini Federicũ Pisana & Volaterrana iniuria offensum, ac deinceps Neapolim ab Alfonso incitatũ existimarẽt, atq; ideo transitum prohibituri dicerentur, præmissus utrinq; suspicionem ademit, Ferrariæ Borsium à Cæsare Mutinẽsium ducem nominatum, primus salutauit, laudauitq; oratione clarissima. Venetis quoq; pro munificẽtia in Cæsarem iussus est gratias agere. Eodem paulo post à Noricis obsesso, emissus ad hostes altera quàm exierat hora, obsidionem dissoluit. Quo tempore & Boëmos Noricis ipsis conciliauit, Intercessit etiam rogationi Germanorum de maiorum decretis antiquandis, cum magna contentione res ageretur, contra Cæsaris dignitatem futura si decerneretur. Pannoniorum apparatum bellicum Federico imminentem discussit legatione bina. Quarum posteriore & pacem confecit nequicquam toto biennio petitam. Legationem Germanicam in Italiã susceptam, de bello Asiatico, per omnem Germaniam circumtulit, qua de caussa peregit & conuentũ Ratisponæ, ubi progressum in concionem omnibus qui aderãt, excussisse lachrymas constat, deploratis Græcorum calamitatibus,

Germanorum rogatio de maiorum decretis antiquãdis.

& recenti clade Cōstantinopolitana in medium exposita, cupiē tem iam redire ad suos, nulla re alia Cæsar potuit continere, quā spe iniecta Asiatici belli, pollicitus sequenti anno expeditionem quantis maximis posset uiribus suscepturum. Profectus eodem studio Francfordiam, quod in Ratisponēsi conuentu fecerat, ad suscipiendum in Turcas bellum exciuit. Ita ut passim arma caperentur, constitutis ex eius sentētia ducibus qui essent publico nomine rerum summæ præfuturi. Cæterum subsecuta statim Nicolai mors omnia peruertit. Opinio fuit Nicolaum uoluisse eū coaptare Collegio Cardinalium. Sed importunitate Regum, suum cuiusq; postulantiū, ne recipere competitores cogeretur & hunc neglexisse. Mortuo Nicolao rogationē principum Germaniæ priuato consilio euertit, petētiū id quod diu tenuisse Galli dicerentur, ne quid Pontifici Romano statuere de templorum præfecturis liceret. Legatione ultima missus ad Calixtum Nicolao suffectum, ubi iusiurandum exhibuit, Cæsarem illi pariturum, hortatus senem ad bellum Asiaticum suscipiendū, & lachrymas excussit, & ut statim ædificari triremes ad ripam Tyberis iusserit effecit, bellumque maritimum ad ueris initium inferri. Perpulit mox & Alfontium ad eandem suscipiendam expeditionem, Neapolim ad eum profectus, simul & bellum deprecatus est, quod idem rex duce Picinino Senensibus intulerat, quoniam minus adstitisse ei bello Hetrusco uiderentur. Constatq; regem confessum propalam extortam sibi ab hoc pacem ui orationis, non impetratam, cum frustrā Senenses tribus antea legationibus postulassent. Mansit autem apud regem compositis iam rebus menses aliquot, ac tum demum sero ægreq; dimissus. Vltimo dicessu aliquoties obuolutus pedibus regem sic accēdit ad bellum, ut extemplo & ueterem classem recensuerit, & nouam iusserit ædificari. Tum demum reuersus Romam, Cardinalis, postulatione patrum designatur. Qua de re actę Calixto sunt gratię ac patribus, Germanorū Pānoniorumq; principum noīe. Fuitq; statim multis in ore, prouidū senem Calixtum esse, q adhuc uiuens successorē sibi creauisset. Fuit aūt illi adeo charus, ut exercitum ab eo ad repellendum Hetruria Picininum impetra

Mors Nicolai expeditionē Asiaticam peruertit.

Rogatio principum Germaniæ de Templorum præfecturis.

Æneas cardinalis designatus.

uerit, & mox legatos, qui peterent Soro Lolio cõsobrino suo remitti exilium. Mansit aũt eo in ordine menses circiter uiginti. Quo tempore postulatus à collegio Varmiensi ad mare balteũ Antistes urbis nec multo post à Ratispõensi ad ripam Danubij, recusauit utrumq;, dicens iam se Italum esse oportere. Secesserat ineunte æstate Viturnium lauandi gratia, & quod singulis annis uitare per id tempus coelum Romanum consueuerat. Cum nuntiatum est Calixtum obijsse, celeriorem eius reditum patres fecere. Singuli ad properandũ exhortati, Est & inter redeundũ uulgo Pont. maximus consalutatus. In comitijs Põtificẽ suffragijs apertis acclamatum, prorupisse in lachrymas constat. Attonitũ aliquandiu cum excitaretur, & lætandum amici esse contenderent, dixisse lætari tanto fastigio imperij eos posse, qui labores & pericula non cogitarent. Sibi uero iam omnia præstanda alijs fore, quæ ipse ab alijs & in Germania, & in Pannonia & in Italia toties postulasset. Cũ à Cardinalibus & cœtu Antistitum, ac postridie à ciuibus per ordines singulos cõsalutaretur, eodem perstitit uultu. Perductus in solium conuẽtum Mantuæ indixit, cui affuturum se subscripsit ad Calendas Iunias, atq; hoc primũ eius fuit decretum. Altero Ferdinandum Alfonsi filium à Calixto paulo ante hostem iudicatum, amicum declarauit, cuius & causas attulit, quòd nouum conuentum agitanti potiora uidebantur pacis consilia, quàm belli, & inuoluere domesticis armis Italiam minus conuenire Asiaticis rebus arbitrabatur, etiam quod ictum ab Eugenio primum, deinde à Nicolao, postremo initio põtificatus à Calixto ipso renouatum cũ Alfonso fœdus, id expressum continebat, ut Ferdinandus patris regno succederet, & legati qui aderant, hoc idem postulabant ex fœdere in quod paucis ante annis Italia uniuersa consenserat, Et nisi fieret, certaturi armis uidebantur. Proceres ergo regni Alfonso mortuo sponte sua ad Capuam in filij sceptrum coniurauerant. Tamen ius regni & coronam ea demum conditione permisit, ne cui præiuditium fieret, simul & tributum à superioribus pensum regibus quotannis solueret, aureũm nummũm duodequinquaginta millia. Pontificis Romani fines neque inuaderet ipse armis, neq; inuadere

Calixti obitus.

alios quantum in se esset, permitteret. Picininũ regia stipendia merentem Asisio & Nucerio per Calixti mortem occupatis q̃primum iuberet excedere. Beneuentum agrumq; Beneuentanũ restitueret. Terracinam ad usum imminentis belli relictam, exacto decennio redderet, Pacem quoq; dare Sigismundo Malatestæ conditionibus quas esset ipse dicturus. Arcem Hadrianam, Spoletinam, Narniensem, Surianum à præfectis pecunia redemit, Et pro Hadriana quidem uigintimilia persoluta. Spoletinã uero præfectus, magna opera Troili Firmani uix tradidit. Appetente iam uere, prius quàm urbe discederet, ne qui fierent in Latio & Sabinis motus, iurare finitimos coëgit in fœdus absente se duraturum. Fecit & decretum ex patrum cõsulto, ne si mori sibi extra urbem contingeret, comitia de sufficiendo Pontifice alibi cogerentur quàm Romæ, Præfinito etiam tempore, quo agentes extra Italiam Cardinales in dies comitiorum expectarentur, Iudiciarios magistratus Roma uetuit discedere, legatis subditarum ciuitatum & decreta maiorum confirmauit omnia, & partem tributorum paulo minus quàm dimidiam in triennium remisit, prouocationes prouincialium ad Romanos magistratus ante reditũ suum uetuit interponi, adiecta multa ei qui prouocasset. Ad exequilias iussis per thermas Diocletianas ad portam flamineam, atque inde ad põtem Miluium deuectus, redire seniores patrum in urbem iussit, æstatemq; expectare. Iter primum egit secundum fluminis ripam, haud longius quàm ad septimũ lapidem daturus spatium, si qui uellent priuatim se alloqui. Narniæ concursum uulgi facto, ad equum umbellamq; corripiendam in discrimine fuit uitæ, gladijs in ora dimicantibus, quo metu reliquum iter Perusiam usq; ac deinceps Mantuam lectica confecit, ad singulos quingentos passus imitatis lecticarijs. Deflexitq; Spoletum ad sororem, ubi & quadriduum substitit Assisij dimidio minus arcemq; communiuit turri eximiæ crassitudinis angulo extremo. Perusiã ingressus est põpa præcedente, equo uectus candidissimo, duodecim eodẽ candore pręcedẽtibus, stratis purpura, sine sessore, & qui per frenos aureos manu agerẽtur, magistratibus purpuream umbellã auro intextam præferentibus, sub quã ipse can-

Pij in concursu populi periculũ

Pompa pij Perusiam ingredientis.

candida syndone, stola aurea commissa, & purpureo galero uehebatur. Pompæ caussam prætendit, quòd post eiectum Bonifacium septuaginta iam annis Perusini Pontificem intra urbem non aspexissent. Dedicauitq; phanum Dominici postulantibus ciuibus propter eximiam templi magnitudinem, & dona primus intulit. Fenestram quoque eximiæ magnitudinis pone aram maximam opere uitreo iussit occludi, artificio & textura texellata. Maiores magistratus toga indui purpurea tàlari ad uiros sexaginta. Perusiæ legatos Allobrogum audiuit, ac postridie Federicum Vrbinatem uirum pace ac bello æque clarissimum, & quo postea Marso ac Piceno bello copiarum Imperatore est usus, circumnauigato Trasimeno. ubi ad Clauim amnem peruenit, Legati Senensium obuiam progressi, restitutos gentiles ad munia ciuitatis cũ nunciassent, accelerare lecticarios iussit. Corsiniã haud amplius quàm triduum moratus. Vbi Senam uenit, cæteram q; nobilitatem restituit, beneficio populi quanquam diu recusantis, dispersitq; per tribus, ut coire totum in corpus ciuitatis uiderentur. Restituere conatus est & duodecim uirales familias, ad capita amplius quadringenta, aliquando nobilitatem secutas. Sed ui sus remissius postulasse, non tenuit. Statuit Antistitem urbis Metropolitem finitimis in iurisdictionem adiectis Grossetano Massano, Clusino Suauensi. Ciuibus Raticophanum munitissimum Hetruriæ oppidum, quod diu antea bello cœperant concessu patrum in perpetuum sub tributo concessit. Cum legati Cæsaris & Beticæ ac Lusitaniæ regum, & Philippi Burgundi Senam conuenissent, omnibus sequi se iussis Florentiam trium dierum itinere contendit, Tribus legationibus apparatu diuerso excipientibus, inter quas & Galeaceus Francisci Sforciæ filius sextumdecimum natus annum à Mediolano usq; præmissus à patre, & cum eo Ariniensis, Fauentinus, Foroliuiensis, & Forocoruelienſis tyranni occurrerunt. Cæteris auream sellam per uices subeũtibus Galeazio per ætatem manum apponente, postridie ludi theatrales decreti, quibus leones cum equis concurrerunt. Mox cauea per medios spectatores dilapsi. Cõsultauit & de rebus Italiæ cum Cosma Senæ sui temporis prudentissimo, opibus uero quã-

Raticophanum Hetruriæ opidum

Tres simul legationes ad Pium.

Ludi theatrales Florẽtiæ edui.

tœ nulli ne ueterum quidem priuato fuerũt, templa quoq; ab eo facta, reliquaq; ædificia percupidè inuisit, in quæuis circiter sexcenta millia insumpta existimauit. Sigismundi Ariminensis caussam, qua proditionis accusabatur à Ferdinando rege, distulit in conuentum Mantuanum. Bononiæ septem equitũ turmas, quæ secutæ Galeaceum illic substiterant, prius quàm urbem ingrederetur, iurare coëgit futuras in ipsius potestate, fuitq; ciuitas in trepidatione, armata circa optimatum domos iuuentute ne quid innouaretur. Auxit metum Brogma orator quidem uehemens, cæterum qui parum consultè in gratulatione publica, ciuitatis conditionem deplorauit. Qua de re mox præuaricationis reus, in exilium actus est, non ante Pij reditum remissum à ciuibus. Ferrariam Lembo delatus est per flumen Padum, omni genere magnificenciæ exceptus à Borsio, Cæterum postulata eius de immunitate ciuitatis & remissione tributorum, reiecit, causatus temporũ difficultates, quibus augenda tributa in Asiaticã expeditionem essent non minuenda. Quãobrem Borsius Ferraria discedentem ad Stellatam oppidum secutus, uenturum se Mantuam cum recepisset, postea minimè præstitit. Ad eum locum Ludouicus Gonzaga Mantuanorum princeps occurrit, classe utrinq; in naumachiæ speciem concursante. Ingressus Mantuam est sexto Calendas Iunias quadriduo prius quàm Romæ subscripserat, pompa eadem, qua Perusiam, nisi quòd hic regum principumq; legati lecticam subiere. Præfecturæ urbanæ uigilesq; portarum parere ei iussi quum ipse statuisset. De conuentu acturus, orsus est à re diuina, supplicationibus per urbẽ totam continẽti triduo decretis, exposita ratione belli suscipiendi in Turcas, paucis inuentis eorum, qui se conuenturos erant polliciti, religionis simul & Italiæ uicem deplorauit, oratione admodum mœsta & plena desperationis. Sed breui frequens esse conuentus cœpit, legationibus transpadanis, Mox & Gallica, & Burgunda, Casimiri quoq; Getarum regis splendorem quàm Barbarorum apparatu. Venit & Blancha Francisci Sfortiæ uxor, Philippi filia, femina spectatæ probitatis, comitantibus eam quatuor alteris liberis, quorum Hypolita natu maxima, iuniori Alfonso desponsata, latine orauis

Stellata oppidum. *Ludouicus Gonzaga.* *Blancha.* *Hyppolita.*

uit pereleganter, Pij studium in religionem complexa, Galeacio fratre orationem eius excipiente, qui ambo patris aduectum pro misere. Inter hæc nuncio de Turcarum impetu in Peloponessum accepto, trecentos pedites mittit, quorum centum Blancha mercede conduxit, Centurione Zanono Cremonensi. Ad eum terrorem accessere legati ex Rhodo & Cypro, & Lesbo, & Epiro, atque Illirico uenientes, omnes petituri auxilium. Auxit trepidationem Sanderouia munitissimum oppidum in ripa Danubij proditum Turcis. Itaq; Ragusinos auxilia pollicitos triremes duas armare nauigareque primo quoq; tempore in Græciã iussit. Bellũ exortum in Germania cõpescuit, missis legatis Verdeaq; oppido erepto Cæsari, iusso restitui, Dedit Sigismundo Ariminensi pacẽ, conditionibus quas tunc acceptas breui Gallico bello abrupit. Francisco Sfortia cum quadringentis purpuratis ueniente, tum demũ non expectatis cæterarum gentium legationibus, rogationẽ tulit de bello suscipiendo, habuitq; orationem omnium quæ circumferuntur ipsius nomine, longè grauissimã, secundum quam consensu omnium qui aderant, bellum decretum est. Alteram tulit rogationem mari an terra gerenda res esset: & Italo milite, an externo: & quàm magno exercitu opus foret, & unde cogendum stipendium, ac sententiam ipse subiecit ad singula. Militem conducendum eum, qui uinci à Turcis non consuesset, præcipuè Germanum exercitum, neque minorem comparandum, quàm satis esset repellendo hosti, neque maiorem, quàm alere prouinciæ possent. Pecunias in Italia exigendas, corrogandas etiam in Gallia atq; Hispania esse. Cum de Imperatore exercitus referret, qui communibus auspicijs rem gereret, Francisco munus per ætatem deprecante, legati Burgũdi Philippo eorum duci receperunt, uotis quoq; ad eam expeditionem dãnato. Misit & Gorum Lolium Venetias ad cõmunicãda clam consilia belli. Rhodijs ad triremes celeriter ædificãdas sexdecim milia aureũm nummũm dedit ex pecunia Gallicana. Sed hæc belli consilia, mutatæ undiq; res oppressere, Nunciatũ sub idem tempus triremes quatuor & uiginti ad ripam Rhodani,

Galeatius.

Turcarum in Peloponesum irruptio.

Sanderouia in ripa Danubij.

Verdea oppidum.

Belli in Turcos suscipiendi gerendiq; rationes.

ni ædificatas ad usum Asiatici belli, Renati Galli filium correptas aduersus Ferdinandum coarmasse, ac notis ad Genuā rebus classeq; ad Lyrimamnem delata, Campaniam uexare. Optimates regni plerosq; ad Gallos deficere. Romæ Tyburtium & Valerianum fratres illecta iuuentute Agrippæ phanum communisse, tractis per uim ad stupra ciuium liberis, ac cæsis qui minus obsequerentur. Picininū ad Gallos cū parte regij exercitus trāsfugisse, Sabellos Picinini præsidia recipere, In Picenis Sigismūdū rupto fœdere opida regia inuadere, Esinos & Anconitanos, & in Vmbria Fulginienses & Menanenses, ꝑpter fines tumultuari, Britannos eiecisse regem, Hispanos maiore fratre depulso, minorem regno imposuisse. nec à Germanis quietiora afferuntur, Pānonios & Boëmos rege ueneno absumpto, distrahere in partes regnum, Noricos intra se armis certare, Moguntinis Dieterum Antistitem inferre bellum. Ad hæc tot simul coorta mala, uisus nonnihil animo succubuisse, Redijt celeriter Senam, nec sine discrimine Pado inter nauigandum glacie districto, ut necesse fuerit securibus excidi. Ad res Germanicas sedādas legatum misit Bessarionem Cardinalē Nicenum, principem collegij, Regi subitaria collecta manu auxiliū summisit, eoq; mox ad Sarnum profligato, nihil cunctatus, ueteres instaurauit copias, ac nouas addidit Duce Antonio sororis filio, Picinino Federicum Vrbinatem & cum eo Alexandrum Sfortiam opposuit, Sigismundo Neapulionem Vrsinum, ac mox Federicum, qui illum ad Senegalliam magna uictoria fudit. Romam Centuriones aliquot præmisit, & equitum præfectos, qui Sicarios Tyburtianos comprimerent. In Britanniam legatum præsulem Interamnensem, quē mox abusum legatione, & pugnæ Britannicæ immixtum, conie cit in uincula, præsulatu quoq; amotum. In Hispaniam etiam q fratrem maiorem restituerent. Redijt post hæc celeriter in urbem, exorta in Campania & Picenis ac Sabinis bella ex propinquo suppressurus. Sed undiq; ex tanto motu rerum, bello ita incubuit, ut aliquando quatuor & sexaginta equitum turmis re gesta non antea desierit, quām subactis undiq; hostibus, quòd multis ætatibus uix contigerat, uniuersæ Italiæ data pax fuerit. Bella susce

Dieterus archiepiscopus Moguntinensis.

Bessariō legatus ad Germanos.

Pax Italiæ per Pium.

suscepit inuitus, nec unquam nisi lacessitus, & nec sic quidem nisi prius commonuisset ab iniuria desisteretur. Et Sigismūdo quidem non antea inferri arma iussit, quàm ter denunciasset, missis etiam legatis, qui oppida repeterent, media pace per fraudem occupata. Sabello Syngrapha manu sua scripta, conditiones ęquissimas proposuit, quanquam obsesso & rerum omnium inopi, utrumq; deinde ui ad deditionem compulsum, seruauit quidem, cæterum erepta bello eorum oppida neutri restituit, præfatus iniuriam eatenus remittendam esse ne secundo possit inferri. Sigismūdo conditionem quoq; adiecit, ut in Peloponesum Dux belli aduersus Turcas proficisceretur, ubi postea biennio uaria fortuna bellum gessit. In Germania dieterum Moguntinum Antistitem tribus legationibus monuit, mox decretis ipsius parere recusantem abdicauit, quanquam familia ortum potentissima, alterumq; suffecit. Visus est erexisse calamitatibus animum, cum nunciaretur deletum in Picenis eius exercitum, & domestici supprimere nuncium conarentur, ubi resciuit, nihil motus: Sigismūdus inquit, si decies prælio uicerit, semel uictus fuerit, bello uincetur, quod mox instauratis copijs euenit. Ferdinando ad Sarnū profligato, insultautibus Gallis, Fortuna inquit belli nobiscū est, Nam ea quos primum fouet, postremo destituit. In Germania quoq; uictis insigni calamitate qui eius autoritate bellum gerebant, nostrum inquit, erit iam uincere qui uicti sumus. Quæ tria bella quamuis principio deteriori conditione ubiq; fuerint, breui ex sententia confecit. Expugnari neq; casibus Fortunæ aduersis, neq; minis potuisse ex eo constat, quòd post susceptum bellū nemini pacem dedit nisi uictor, quāquam & à Sigismundo post uictoriam Picenam, & à Gallis post fusas regias copias postularetur, conditionibus ut accipere non dare uiderentur. Auxit fines Imperij Beneuento & Terracina iure fœderis à Ferdinādo acceptis. Sabinos qui ad Gallos defecerāt & Soranos atq; Arpinates, & in Picenis ac Flaminea à Metaurēsibus in Cesenatem usque Arimino excepto, armis obtinuit. Phano fortunę, mari simul terraq; oppugnato. Venetorum quoq; classe, quæ illatura præsidium uenerat opera Anconitanorum profligata. Cesenates Iure

Dieterus Antistes Moguntinensis.

Pij magnanimitas.

iurando adegit, ut post mortuum eorum tyrannum Sigismundi fratrem, urbem atque agrum pontifici dederent, quod breui quamquam ipso iam mortuo fecere. Canale Tudertinorum oppidum longa obsidione pressum, cum machinis undique dirutum, non tamen ante promissa defensoribus præmia, expugnari potuisset, & laudauit qui defenderant, & Ducem eorum præfectum militium constituit. Quædam & sine bello obtigere in Aquitania Valentinensis & Diensis Tetrarchiæ, quæ sunt ad ripam Rodani à Ludouico rege incertum datæ sponte an maiorum testamento relictæ. In Peloponeso quoque Manouasia munitissimum situm oppidum à Peleologis traditum. In agro Tolphano prope centum cellas, montes aluminis patefacti, ex quibus prouentus annui aureum nummum paulo minus percipi quàm centum millia feruntur, Insolentiæ eorum, qui minus iusta peterent, aut molirentur constantissime restitit. Oratores Cypriorum natum ex concubina regis filium exclusa Carlocta ex uxore suscepta regem dari sibi postulantium reiecit, quòd Cyprũ uectigalem promisisse regi Syriæ & iurasse quoque in eius uerba diceretur. Georgici Boëmorum regis, quòd Fantinum Dalmatium legatum coniecisset in uincula, & mox quòd male de religione sentiret, Regnum publicauit. Sigismundo Norico Cæsaris patrueli diem dixit, quòd nulla fretus authoritate custodiri Cardinalem eundem Antistitem Brixinensem iussisset, interdixitque aqua & igni, quanquam priuata amicicia inter præcipuos habito. Sigismundum Malatestam obloquentem de religione atque ideo in ius uocatum, nec comparentem damnauit. Simulachro quoque eius Romæ uicatim incenso, nec multo post fœdus Gallicum, in quo & Sigismundum contineri galli contendebant, recusauit, indignum dicens inire cum eo societatem, quem paulo ante damnasset. Tudertinis tyrannicum morem creandorum magistratuum sustulit, datis legibus quibus rempublicam gubernarent. Increpuit Senenses, quòd legem tulissent ne qua deinceps rogatio fieret de nobilitate restituẽda, atque adeo acriter, ut extemplo legem abrogarent. Arcem in Ianuensi magnis sumptibus ædificatam à Columnensibus, & lo-

Canale oppidum.

Sigismundi Cæsaris patruelis.

Simulachrũ Malatestæ Romæ uicatim incensum.

eo munitissimo demoliri extemplo iussit Veliternis imminentem. Mittente Cæsare legationem paulo obscuriorem recusauit audire, postulauitq; clariorem. Burgundam quoq; ueluti superbiorem iniustacq; decreta postulantem, Martialem Gallum, quòd uirginem incestasse uestalem ferebatur, præfectura amouit, quanquam scelus non constaret, subdens, in religione præfectos suspicione non minus uacare debere, quàm crimine. Galllū alterum Armeniaci tyrannum cum sorore consuetudinem stupri per speciem coniugij habentem, in iudicium tractum mulctauit, coniectis in carcerem qui falsò decretum Calixti corruptis tabulis adhibuissent, acta q; res est magna contentione propter familiæ nobilitatem. Quædam minus uisus est uindicasse. Perusiæ Pandulfi Balionij ac filij cædem à patruele in spem hæreditatis securis illatam, & in Piceno acti Sentinatis eadem de caussa à patruo capti, ac mox strangulati, & in priore quidem caussatus tempora extorqueri sibi parricidium quæstus est. Sentinatem obsessum ac mox sub conditione deditum dimisit omnibus exutum rebus, affectis tamen supplicio qui iuueni manus intulissent. Nonnulla facetijs excepit, aut morsu. Ludouico rege Gallorum nisi copias in Ferdinandi auxilium missas è Campania reuocaret, multa minante, ac rursus nisi desisteret auxilio, Gallos qui Romæ essent reuocare simulante, nihil respondit aliud, quàm: Et habitabimus laxius, & nugas non audiemus, castigata simul insolentia gentis & leuitate. Triballis confirmari sibi quem ipsi nominassent regem postulantibus, negauit esse sui iuris sed ad Pannonios partinere, contendentibus liberos esse, Quid inquit seruitutem postulatis? Præfecturam Rhodiensem exhaustam à Gallo, Hispano commisit dicens, Gallicum morbum Hispaniensi medico curandum esse, quòd Galli profusi Hispani frugales haberentur. Conuentu Mantuano cum Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum pollicerentur, Germani hominum armatorum duo & quadraginta millia. Vngari dimidio minus. Ragusini duas triremes. Rhodij quatuor, Cypri totidem. Legati ex Cilicia hominum triginta millia, dicentibus Gallis, non antea excitandum foris peregrinum

Superbia Pij.

Apophthegma de Gallis In Triballos.

bellum, quam ipsorum domesticum sopiretur, Mirum inquit, Gallos qui semper aliâs uicerunt, hodie uerborum magnificentia uinci. Borsij quoque legatis trecenta millia aureum nummum pollicentibus cum fidem non fecissent, non opus est inquit tot nũmis dimidio contentis. Cum Veneti propter initium cum Turcis fœdus palam aduersarentur, clam tamen habita ratione quantum essent collaturi, Summam belli naualis dari sibi postularent & classem insuper triremũ sexaginta & xx. nauium rostratarũ, ac peditum delectorum octo millia, & annuas decimas, & praeterea quindecies centena millia ex publico, Hoc inquit Veneti est recusare non petere, Nos uero adeo uobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis. Hispanorum assertionem de miraculis eius, qui cum patre de regno contenderat, quanquam asseuerantissime instarẽt, irrisit, idque aegre ferentibus, an nescitis inquit, uita miracula fieri, non morte? Germanis offensis, quòd inter respõdendum Mathiam Pannoniae regem appellasset, tanquam ad eos ius regni pertineret, Sinite ait Mathiam tantisper nos regem appellemus, dum eum uos regnum tenere permittitis, temeritate simul & ignauia exprobrata, subdiditque armis regna dijudicari nõ legibus. Clementem eum fuisse indicio est, quòd nemini petenti ueniam, non facile ignouit, alioquin pertinacibus inexorabilis.

Venetorum cum Turcis fœdus.

Bello regio parci Arpinatibus iussit ob C. Marij & M. Tullij memoriam, quod multi oppidanorum ita uocarentur. Donadeum oppidum Sabinorum direptum â suis grauissimè indoluit, ut opinio fuerit cogitasse eum de ducibus exautorandis. Correptos â suis greges Aquilanorũ ad quinquies centena millia, quòd uiolata fide ad Gallos defecissent, restituit, dicens non esse multãdos insontes, greges agrestium & multitudinis esse, defectionem à potentioribus factam, qua liberalitate dedere se uolentes, Aquilanos, reiecit ad regem. Expeditiones non nisi ex consensu patrũ & sero suscepit, susceptis ita incubuit, ut aliqñ non suppeditante aerario, atque aegrè conferentibus socijs, accitis quaestoribus, iam inquit si opus est uendi me iubeo. Pecuniarum usque ad uicium negligens, ut nec aspicere quidem sustinuerit, Impensa belli ingrauescente, contraxerat aliquando ad ducenta millia aeris alieni

Pius ob Marij & Mar. Tullij memoriam Arpinatibus parci iussit.

Pecuniae cõtemptus.

ni, quod ubi ex rationibus ærarij percepit, quæstoribus grauiter succensuit, iussis prima quaq; occasione dissoluere. Quæstori Vrbano usus est Iulio Forti Pisano, acris & animi & ingenij uiro. Sed contrahendo ære alieno in sumptus bellicos paulo laxiore, quo factum est, ut exhaustis uectigalibus unde suppeditare domesticis sumptibus pecuniam posset, aliquando laborauerit, coactus unum in triclinium & ipsum admodum frugi familiam omnem redigere, ut aliquando exclamauerit: Et qui appeteret, & q contemneret pecuniam, stultum esse. Sed neq; rationem fisci uectigalibus aut portorijs auxit, neq; decimas antea exegit, quàm bello Turcis indicto, & tunc quoq; moderatiõe adhibita, ne prophani ultra quã trigesíma grauarentur, neue ad maiorem summam infimi magistratus, quàm supremi, utque Iudęorum uigesimæ non ex prouentibus, sed ex capite deducerentur. Instituit quatuor uiros ex collegio patrum de luxuria coërcenda. Primum Germanum, Alterum ex Gallis, reliquos in Italia. Sed homines diuersarum nationum ac morum, dum cunctantur, ipse è uita decessit. Nouum etiam collegium Abbreuiatorum ad uiros septuaginta literaturæ & moribus ex omni natione promiscuè delectos, redacturus ad castigatiorem elegantioremq; stilum acta publica uidebatur, quòd iam ab initio Pontificatus destinauerat, Sed deterritus diuersitate cõtrouersiarum ac legum, differre se in magis ociosa tempora, non omittere testatus. Prouocationem ad futurum concilium temere à nonnullis illatã edicto summouit. Sceleratorum esse perfugium dicens eum iudicem petere, qui nusquam esset. Episcopos prothonotarijs ordine subselliorum antepos uit, mutata consuetudine maioum, quanquam plærisque regio genere ortis. Cardinalium numerum duobus comitijs auxit undecim adiectis, laudauitq; singulos oratione diuersa Sed nec priorum contempsit suffragia, nec de quoquam retulit, cuius ratio non omnibus constaret. Testamenta eorum qui Romæ decessissent libera esse uoluit, qui intestati obijssent, eorum bona ita demum referri in ærarium est passus, si nec propinqui comparuissent. Quæstore eius quædam supprimere uolente ad fiscum deuoluta, cum reddere ijs, quorum fuerant, iu-

Abbreuiatores.

Prouocatio ad conciliũ.

Pius Cardinalium numerum auxit.

beret, & ille uendita asseueraret, statim subdidit, redimantur. Nobilitati & studio sui & ex Germanorum consuetudine fauit, res publicas non æque uisus probasse, diffiniebat multorum esse tyrannides, & quæ optima haberetur, in ea non minus bonis quã malis periculum esse uirtutis, præmia non ferè nisi apud principes inueniri. Thomæ Paleologo ac liberis Peloponesi imperio depulsis in Italiamque fugientibus occurri ad Anconam iussit, atque omnia regio more subministrari. Carloctam quoque reginam Cypri regno deturbatam ã fratre atq; ad socerum Allobrogum nauigantem, descendere ad Hostiam ac Romæ excipi, datis equis quibus iter reliquum terra conficeret, uiatico etiam prosecutus. Accitis Romam ferè omnibus quos Turcæ patria eiecerant, pecuniam ad uictum annuum constituit. Ceremonijs solemnibus permagnificus, cæteris in rebus habitus est intra modestiam. Caput Diui Andreæ ex Peloponeso delatum prosecutus est maxima pompa, Alexandro Cardinali Sentinati Anconam misso, qui ã Græcis acceptum Narniam usq; deferret, ubi arce reconditum, exacto post anno tribus missis Cardinalibus diuersi ordinis, & decretis itinere toto supplicationibus, Romam iussit afferri, progressusque obuiam ad pontem miluium, medijs in pratis excepit. Tabernaculo extructo ad rem diuinam faciendam, ubi mox & sacellum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano cellam dedicauit simulachro argenteo confecto. Vituruij festum eucharistiæ peregit insolito apparatu, strata undique sagis purpureis urbe, uelataque linteis, quibus aureæ stellæ uelutí cœlesti affixæ globo interlucebant, ut excluso cœlo inter flores ad digiti crassitudinem, & diuersi generis cantus supplicatio procederet. Siluestres etiam homines hędera uestiti cũ leonibus atq; ursis congredi uidebantur artificio mirabili, & uersus passim heroici canebantur fontiumque fistulæ utrinque ex aduerso sese ferientum murmure continenti demulcebant. Strauitque omnem templi ambitum purpura. Catherinam Senẽsem cuius multa extare uidentur miracula ferebantur, in diuarum retulit numerũ, apparatu æque magnifico. Ritus sacrorũ & ceremonias ita ubiq; tenuit, ut ad Sublacum cœnobitas cœnã eodem apparatu, que

illis

Nobilitatis ac rerump. cõparatio.

Carlocta Cypri regina.

Pompa in festo eucharistiæ Viturnij habita.

Catherina Senensis.

ellis ministrari sibi biduo iusserit, quod & Capreolę in Hetruria fecerat, Et ad cœnobium diui Benedicti in Mantuano & in Florentino ad Certusiam cum ibi substitisset. Lustrandi orbē & uagandi adeo cupidus, ut aliquando dederit calumniæ locum, Et legationem quidem Scoticam non inuitum suscepisse constat. Britanniam uero itinere obliquo, & unde circumspicere multa posset obijsse, dissimulata ueste Lundonias ingressum, uoluisse etiam ad Orchades nauigare, sed deterritum malē toties tentato mari, dixisse tritum illud: plusquam temere Neptunum accusare, qui tertio iactetur, & Scotiam quidem Noruegiamque descripsit, facturus idem de Britannia si redire ad exactiorem inquisitionem licuisset. Allobrogem qui incertum specie sanctimoniæ an aucupandi pontificatus gratia solitudini se dederat, quòd locum delegisse amœnissimnm ad ripam lacus Lemanij ferebatur, ultro adijt, locumque descripsit. Habuit inter delicias & uallem Sarentanā quæ est in Rhetijs, fontium ubertate atque gratia eximiē lætam, ubi & ædes ab eo constructa est. Profectione Mantuana commoratus Clusij diem unum, reliquias Laberinthi uetustate collapsi perquisiuit, & ad hostium fluminis Mincij diuertit in uillam, quam constans est apud accolas fama fuisse Virgilij agrum Tusculanum & Albanum & Tyburtinum studio uetustatis perlustrauit, omnem uiam quoque Appiam & aquæductus, & hostiam, & Traiani portum, diuersis secessibus inspexit. Et in Appia quidem obeliscos ad Hyppodromum iussit excauari. Hostiæ uero in discrimine fuit, grauissima exorta procella, compulsus metu inundationis, nocte media cubiculo excedere. Phalerios quoque adijt, quòd audierat muros adhuc extare lapide quadrato, & Ocricoli eadem de causa substitit. Circūnauigauit Thrasimenū & Vulsinium lacū, & utrobiq; in altera Insularum pernoctauit. In Thrasimeno subscriptiones libellarias fieri quæ in lacu factæ notarentur, In Vulsino summo iugo insulæ erigi sacellum iussit, ubi est Christianæ uirginis phanū, & certamen concurrentium nauicularum despexit, proposito accolis præmio. Fōtes sereno die adeo cupidē frequētabat, ut sępe inter gla-

Pius lustrādi orbis auidus.

Vallis Sartana in Rhetijs.

Virgilij ager.


Pij periculum hostiæ.

glaream & marginem coenam postulauerit. Augustam & Alburnam, & deriuationem Anienis, uia Claudia ad Sublacum usque inuisit. Salonam quoque uia Tiburtina ad leuam deflectens Augustam ubi contegi ad uitandum æstum audiuit. Egit accolis gratias, statimq; occurrit. Struxit & Senæ fontem in hortis, prope pomerium aqua ductu subterraneo deriuata, ubi diem sæpe totum decernendis rebus exegit, quem cum noctu quidã disiecissent, adeo tulit molestè, ut discedere statĩ uoluerit, quæstionem tamen ultrò offerentibus ciuibus, interponi uetuit, dicens satis magnam poenam suam cuiq; stulticiam esse. Montium quoque delectabatur ascensu, ut in Romano & in Tyburtino prope nullũ prætermiserit, Sed præcipuè qui uirerent arboribus, & in longissimum prospicerent. Amiatam in Hetruria editissimum conatus ascendere ad media substitit, lecticarijs ægre subeuntibus. Senæ cum diuersaretur sæpe Capreolam secedebat, quo in loco iugum est pinu, cupresso, ilice, lauro consitum. Semitis per gradus sub umbra distinctis, nisi per hyemem aut pluuiam raro sub tecto aut prandebat aut spatiabatur. Secedebat singula quaque æstate ab ortu caniculæ, nisi qua re grauiore distineretur, aut in proximas urbes, aut si liberum esset in Hetruriam, Itineribus usus per æstatem nocturnis, stationes libenter secundum fontes habuit, aut flumina & riuos, si fontes non occurrissent. Inter eundum aut interrogabat proximos de ijs quæ prospiciebantur, aut ipse loquebatur, Historiam loci cum posset ubique subnectens. Vere atq; Autumno Viturnina balnea repetebat aut Petriolana, destinauerat aliquãdo & Baiana petere, Sed reuocatus precibus Senensium diuertit ad Tusca, lauabatur perfricabaturque à paucis & exiguo apparatu, ne quem deterreret eorũ, qui prope lauabantur, qua de causa nec horam sibi nullam præscripsit. Abstersus paulo plus minusue mille passuum uehebatur. Perpetuo pontificatu lecticarijs usus ubi nauigatio deesset. Annandi leuiter secundis fluminibus cum posset, occasionem auidissimè arripuit, quòd & minus quateretur, & lecticarijs parceret, Dierum ac noctium ratione m ad horas usque distinxerat. Surgebat æstate ad primam auroram, Hyeme ad alterum gallicinium. Studium

Amiata mons in Hetruria.

Pius quomodo tempora distinxit.

dium ita partiebatur, ut inter legendum aut ſcriberet, aut dicta-ret paribus prope interuallis, niſi cum hiſtorias texeret, quas cõſtat & uerißime & feſtinantißime ſcripſiſſe. Plerumq; duas in horas, nonnunquam minus quàm in unam protracto ſtudio, Exceptorem habuit Auguſtinum Patricium, quem aliquando ad horas quatuor exercuit, Sed dumtaxat ualetudinarius & cum chiragra laboraret, Deinde uel aderat rei diuinæ, uel ipſe operabatur. mox aut cum patribus conſulebat, aut dabat ſubſcriptionibus operam, quæ duo munera alternis diebus obiri ſolita, niſi cũ feriæ aut ſolennia prohibuiſſent, nunquam intermiſit. Subſcriptiones etiam extra ordinem ut quaqua poſtulator occureret & in menſa, & in cubili faciebat. In itinere ubiubi ſubſediſſet, acciri poſtulatores iubebat, nec unquam ad fontem aut umbram acceſſit ſine pugillaribus. Secundum conſultationes patrum aut ſubſcriptiones, primum oratores, mox priuati admittebantur, Cum aliquando unus è cubicularijs ſenem uerboſiorem facere dicendi finem clam ſubmonuiſſet, aduertens, repeti omnia iuſſit, Conuerſuſque ad cubicularium irato ſimilis, an neſcis, inquit, ex quo iniui pontificatum, alijs me uiuere oportere, non mihi, Neminẽ plus triduo demoratus, Oratores ſæpe qua die ueniſſent, cæteros poſtridie admiſit, præſcripta cuiq; hora, ne quem expectando fatigaret. Integritatem eorum qui ſecum uerſarentur exactißime perquiſiuit, repudiatis, quorum fama minus probaretur. Initio Pontificatus Secretariorum numerum, quod offerri quidam temerè dicerentur, ad paucißimos redegit, pauloque poſt ad duos Sorum Lolium conſobrinum ſuum, & Iacobum Lucenſem ſpectatißimæ probitatis uiros, Et alterius quidem ingenium ac uitam ita probauit, ut paulo poſt Antiſtitem Papienſem, mox & Cardinalem effecerit. Qui de poſtulatis referrent homines ſibi aſciuit moribus & doctrina probatißimos, pręcipuum uero Agabitum Cyncium Romanum clarum in poëtica quoque, ſed iuris ſcientia longè eminentißimũ, quem primum Anconitanis mox Camitribus præfecit Antiſtitem, maiora collaturus ſi diutius uixiſſet. Conſtantißimus fouendis quos ſemel eſſet amplexus, gloriabatur inter ſuos neminem ſibi fuiſſe inimicum ſua culpa. Di-



lexit ex priuatis Marianum Sozzinum Senensem iurisconsul tum ueterem æqualem suum, & Procopium Boëmum, quem aliquando in Germania collegam habuerat. Ex Regibus Federicum Cæsarem, & Alfonsium Arragonem, & Matheum Pannonium, extremo tempore & Franciscum Sfortiam, quem bello regio socium habuit. Præcipuè omnium complexus est Federicum Vrbinatem, cui rei bellicæ summam commisit, Ex patribus maximè Bessarionem græcum Cardinalem Nicenum ætatis suæ doctissimum, quem & orare aliquando secundum se iussit, & legationem Germanicam commisit cum summa potestate. Caruaialium quoque Hispanum eiusdem ordinis clarum uirum quem iam senem & attritum legationibus ex Pannonia reuocauerat, dialogosque aliquot inscripserat. Ex domesticis plurimum apud eum potuit Sorus Lollius. Catharinam & Laudoniam sorores eque dilexit, & Laudoniæ quidem uirum ad equestrem erectum ordinem Vmbriæ præfecit. Ex quatuor filijs primum Anthonium in familiam regiam adoptatum Marsorum ac Lucanorum imperio præficiendum à socero rege curauit.

Catharina & Laudonia Pij sorores.

Alterum Franciscum uiginti annos natum coaptauit collegio patrum. Reliquos duos Iacobum & Andream ad mediocres extulit opes. Catharinæ uero cũ unicã haberet filiã minus uisus est præstitisse. Cæterum & præfecturas dedit genero, & ipsi ad uiginti millia aureum nummum comparauit. Auxit familiam numero adoptiuorum, inter quos sororis filios, & sororum consobrinum, & Cardinalem Papiensem & cubiculariorum aliquot gentilicijs donauit. Alexandrum præterea Miraballum Neopolitanum, quem initio pontificatus ob eximiam liberalitatem familiæ reique domesticæ præfecerat, & oppidum Frascatam in Latio secessus æst. iui gratia concesserat. Amicis & propinquis raro se subtraxit. Sermone gaudebat libero & festiuo, & qui modice exiret in iocum, fuitque ipse natura non infacetus urbanitate extemporanea. Occurrentibus aliquando in itinere Lusitanorum legatis, nos inquit ad hos, an hi ad nos ueniunt? Exeunte eo à cella Palatij cum Germanus senex arrepta lectica, ius sibi reddi exclamaret, una inquit de re, an de oĩbus? Respondenti de

Alex. Miraballus.

Pij facetiæ.

tma, statim subdidit, recte sapis, nam actum de fuerat, si de omnibus postulasses. Alteri se sæpius pedibus commendanti, nescis, inquit, o stulte, quam debiles patronos imploraueris. Corsiniam quo in loco natum eum diximus, non comparentibus sodalicijs, solus, ait, meorum conuiuio desum, Paternum etiam fundum circumuisens, in quo pinus erat à patre qua die ipse natus est cōsita iam præalta, cum ad eam descendisset, hæc inquit, me admonet esse iam grandiusculum, Ad lacum Vulsinum contendentibus accolis de lectica subeunda, ita ut & gladios stringerent, repelli omnibus iussis, quām stulte, inquit, simul & onus & periculum quæritis? Ad Amiuatam porrigente pastore Cymbium lactis, ori admouit quanquam admodum sordidum, ridentibus qui aderant, & hoc inquit, dulcius, quām Artaxerxis poculum, & qui sitit uitro non eget. Aedificandi studium bella intercęperunt. Cæterum in Vaticano cellas templi maximini promiscuè passim ædificatas disijci iussit, ac mox secundum parietis tractum collocari, quo reddita est facies interior templi augustior & patentior, Addidit & cellam Diui Andreæ ad primum angulum templi leua subeuntibus, ubi postea & sepeliri se iussit. Scalas quoque instaurauit pro foribus templi uetustate collapsas, strauitque aream amplissimam uestibulo palatij communito turri excubatoria inchoatam, supra scalas marmoream porticum imperfectam reliquit. Est & ipsius arx Tyburtina, opere tumultuario confecta, quōd nec prohibuissent transitum, & iuuissent comeatu hostes, & recipere intra urbem ipsius præsidia recusassent, exprobauitque dubiam fidem, & diripi eorum agrum est passus, fuitque & nostrum distichon.

Tybur habes arcem, quōd non tibi creditur hinc est,
Aeneas Phryx est, Tybur es agricolum.

Corsinianum ex oppido urbem Pientiam appellauit designatis magistratibus urbanis in speciem iustæ ciuitatis, Episcopo &

prætorio ædificatis, episcopum & triumuiros instituit, & certamina Gymnica per gradus ætatis. Cõstruxit & ædes gentilicias eximia pulchritudine, Symmetria quadrangula, lapide suffusco extanti incrustatas ad digiti crassitudinem, commissuris paulo recedentibus, duplici ordine fenestrarum, annulis & cratibus ferreis, addiditq; porticum ad meridiem duplici concameratione, continuatione insuper accliui, & triclinia æstiua atque hyberna, & cellas promptuarias alte suffossas, hortosque pensiles, Templum quoque egregia structura & aream pro foribus, & cellas in ambitum templi aramque subterraneam, uetuitq; in eum quenquam sepeliri præter sacerdotes & Antistitem, quibus & tumulum seorsum assignauit, tum uiolari parietem, picturaq; insigniri, aut appendi leones, aut cellas erigi, aut altaria præterquã quæ ipse destinasset. Et prædia in sumptus annuos coẽmit. Arhitecto ad summam futuræ impensæ longe præmetito, post perfectum opus addi centum iussit, dicens desipere Architectum qui de impensa, quam nemo sit facturus ante præfiniat. Fecit & senex porticum gentiliciam concameratam, ædes quoq; adiuncturus, quarum iam aream strauerat. Erexit & cellam ad phanum diui Frãcisci, & in ea sepulchrum parentibus marmore Ligustico hoc inciso disticho, quod ipse condiderat.

Syluius hic iaceo, coniunx Victoria mecum est,
Filius hoc claudit marmore Papa Pius.

Cogitauerat Anienem ad Tybur usque nauigabilẽ reddere, portum quoque Traiani repurgare, & in Pientino lacum facere, Orcia flumine occluso, ac riuo ex Amiantæ radicibus eodem deriuato. Ingenia sui temporis mirifice fouit, Sed dumtaxat probatissima, inuertens nonnunquam aliorum epigrammata, uisusque cõtempsisse mediocritatem. contraxit inuidiam, dicere solitus Oratores & Poëtas aut supremo aut nullo ĩ loco esse oportere. Laudabat in dicendo candorem & uim orationis, apparatum uerborum nimium dicentis ocium appellabat. Iuuenis delectatus poëtica, Niraphilenticum scripsit uersu magis facili & expedito, quã accurato. Poëmata quoque in epistolarum modum complura. Fijscripta. flexu ætatis orationi incubuit, inuitatus rerum & legationum magni-

gnitudine. Scripsit ad Ladislaum Regem Boëmorum adhuc adolescentem libellum unum de arte grammatica, mox alterum de regia institutione, cum in Germania ageret. De rebus Boëmicis ad Alfonsum, Ad Federicum, de Noricis integros commentarios. Rerum sui temporis in Italia gestarum libros xij. quod opus nondum absolutum cum uita finiuit, uetuitq; publicari nisi emẽdaretur. De Eurialo, De ortu Nili, De studio uenandi, De Hæresi Hussitarũ. De dignitate Cęsaris, De potestate concilij, De sanguine Christi, De ueritate Christiana ad Maumethem Turcã, De gloria belli suscipiendi ad Franciscum Sfortiam, De erratis Basiliensium, De Fortuna, De defensione poëtices, De misería curialium singulos libellos, quorum magna pars dialogis cõstat. Descripserat in Pontificatu Asiam minorem, maiorẽ mors intercepit. Inchoauerat & aliquando historiam uniuersi orbis rerum ætate sua ubique gestarum. Sed omisit, ueritus ne parum explorata colligerentur. Loca libenter exscripsit stilo extemporaneo, mox castigaturus, Præter Scotiam & Noruegiam atq; Luaniam, Rhodon quoque & Mitilenen, & Lesbon, & Cyprum expressit accurata breuitate. Et historiam quidem temporum recentiorum nemo putatus est & quæsisse diligentius, & uerius tenuisse. Reliquit epistolarum quatuor uolumina distincta temporibus, Orationes nemo temporum nostrornm & nec ueterum quidem tot habuit, omnes ferè de rebus amplissimis. Cæterum sententijs quàm uerbis illustriores, Copia mira, & ad magnitudinem rerum excrescente, De uerborum delectu nonnihil illi Germania detraxerat, coacto sæpe apud Barbaros cultiora negligere. Sed earum magna pars exceptorum negligentia perijt, quatuor & uiginti extant. Pronunciabat uoce sonora & graui, uerũ eodem spiritu semper & crebris interuallis, ut dicere ex tempore & sine cura uiderentur, Persuadendi longe potentissimus. Neminem ad se dicendo non traxit. In conuentu Ratisponensi male sustentatas à legato Cæsaris partes, ipse suscepit oratione extẽporanea, ubi dicenti aduersario: & quando desines molestus Germanis esse, Cum inquit, tu incipies illis molestus non esse. Præuidisse illum futura ex longo interuallo creditum est, prædixit qua

Forsan Lituaniam.

Pij orationes xxiiij. extant.

driennio ante se in belli apparatu decessurum hoc uersu, quem ipsius manu uidimus scriptum: In Turcas bellum dum parat occubuit. Senensi adultero afferenti de riuali querelam, nisi desieris inquit breui occidere, quod accidit nondum exacto mense. Legatis Venetis in conuentu Mantuano societatem aduersus Turcas recusantibus, fore ait, ut quod tunc reijcerent, decimo post anno sero essent rogaturi, quod euenit, Nam decimo post conuentum anno amissa Euboea opem ex omni Italia imploratum circumiere. Cum Ludouicus Allobroga uir Carlottæ haud procul à Mantua transisset, Cyprum mari petiturus, nec eum ut par erat salutasset, breui, inquit, rectà ad nos reuertetur, quod sequenti anno fecit Cypri regno depulsus. Statura fuit infra mediocrē, corpore per adolescentiam modico, flexu ætatis aliquanto pleniore, oculis lætis quidem, sed qui toruè in iram excandescerent, capite compacto, & ante diem cano, facie subcandida annis seniore & ad minimā quanq; ualetudinem statim concidente. Fuit laboris & inediæ, q; frigoris atq; æstus patientior. Calculo uexabatur prope menstruo, & assidua tussi, pedum usum iā pridem amiserat, cum rigore niuali, quam diximus, tum etiam superueniente podagra. Chiragra sero offensus & raro, Astrologas se manus habere iocabatur, quòd æquinoctium tumore prędicerent, quę oīa adeo patienter tulit, ut constet legatione Germanica, impeditū grauiter podagra, tñ à collega ut diem unum subsisteret, adduci nequiuisse, & in aquis Patriolanis pertulisse duas in horas fistulam deuncem. Romæ quoq; inter maximos calculi dolores continuasse orationem uix obtorto leuiter ore, ac submorso paulum labro deprēssum. Magnitudinis eius signa quędam præcesserunt Mater nocte posteriore quàm peperisset, uisa est in somnis puerū mitratum peperisse, diu grauiter sollicita de omine, donec designatū Tergestanis antistitē audiuit. Corsiniani septimū agens ætatis annū inter ludos pueriles Pont. Max. salutatus ab æqualibus, singulos ordine ad oscula pedis admisit, Alfonsus uenientē ad se Neapolim è fenestra digito amicis ostēdēs, En inquit, nobis Pont. Max. Federicus quoq; Cęsar eum è Cyminio monte Latium prospexisset, eo acciri ad se iusso: cito his in locis regnabis Aenea,

Statura Pij (margin)

Somniū matris de Pio. (margin)

Aenea, & qui tibi nunc imperamus, breui parebimus. Romæ unus ex regijs purpuratis ad eum iam Cardinalem ueniens, cum lunas sagis intextas aspexisset. Exclamauit fore eum Pontificem Max. Quod agens ipse aliquando in Calabris audisset, esse in arcanis proxime futurum Pontificem ea signa habiturum. Qua in hora creatus est Pontifex Romæ, eadem Laudoniæ sorori Corsiniani est nunciatus octoginta milibus passuum spatio, nec uisus amplius qui nunciauerat. Incidit sæpe in discrimen uitæ: Puerum penè trimum decidisse præcipiti loco, & prope exanimatum constat, à boue quoq; impetitum cornibus, ac ter iactatũ præter spem euasisse, multis in locis confossum, in Britannia cũ à cœna mercatoris amici reuerteretur, qui funabulum præferebat, ipsius in oculis occisus est, propè ut ad eum uulnus perueniret. Et trãnsfretatione Britannica sereno die cum ad nauigandum inuitatus, serius ad nauem iam soluentem uenisset, quàm posset admitti, exorta mox tempestate, nauis & qui in ea erant haud procul à littore, ipsius in oculis demersi sunt. Mediolani cum febrim incidisset, grauiore accepto pharmaco penè consumptus profluuio est, cum alterum medicus supparasset, pixide casu effracta, periculo eximitur. Nec multo post Basileæ pestilentia contactus paulum ab interitu abfuit, ab amicis omnibus, præterquam ab Andrea Panigalio destitutus, quem postea inter præcipuos habuit. Alpes Vindelicas Hyberno æquinoctio ingressus, paulum abfuit quin liquentium niuium lapsu obrueretur, semel ingenti globo deiectus. Apud paludes Pontinas, cum noctu per flumen Ligulam nauigaret, tribus horis limo inhæsit, naui quæ eum sequebatur cum undecim uiris absorpta. Ad Cumas quoque nocte cum appulisset, nauis oppressa est, sed citra cuiusq; discrimẽ, quòd haud procul à littore nec profundo admodũ mari subsedisset. Qua quoq; die coronatus ad Lateranũ est, in periculo fuit, ne à turba congratulantiũ opprimeretur; ut necesse fuerit perfractis scipionibus, gladijs arceri multitudinem, qđ idẽ postea & Narniæ contigit. Insidię bis illi structę, primũ ab Euerso tyranno adiutore Boccardo: cuius interceptæ sunt ad eũ

literæ

literæ, habere se uenenum, quo simul paulum lectica illiniretur, statim periturum, se quidem corrumpere aliquos ex lecticarijs uoluisse, uerum neminem inuentum, qui facinus recepisset, adhibendam eius authoritatem & præmia maiora proponenda, Qđ ubi resciuit, tantum admonuit Pazaliam præfectum custodię corporis, ne quem parum cognitum lecticarium admitteret. Alterę à sicarijs Tiburtianis. Ii ex Hetruria ad exitum autumni redeuntem, nõnullos subornauerant, qui ueluti libellum porrecturi pugione conficerent, Sed illo properante, nondum confirmatis ad scelus animis, priusquam uenisset ad locum insidiarum, patefacta res est. Et credidit alioquin facile se omnibus, fiducia tanta, ut profectione Mantuana aliquando per hostilem agrum sine præsidio transierit. Mors quoque eius præcognita rumore passim dissipato ad exitum anni sexti decessurum. Et ipse in pratis Quintijs, cum ex urbe discederet, conuersus ad mœnia, Vale, inquit, Roma, nunquam amplius uiuum me uisura Qua die atque hora decessit Anconæ in Hetruria Camaldi, quod est in Appenini iugo senex Germanus, uictu aspero sex & quadraginta annos intra sacelli claustra emaceratus, atque inter cœnobitas miraculis clarus, egressus ad limem primum uestibuli, uidere se exclamauit magnum sacerdotem corona triplici, & candido amictu deferri in cœlum, cantantium uirguncularum cœtu & nubecula septum. Attonitis qui aderant, & quid esset conijcientibus, quarto post die, quantum itineris Ancona distabat, nuncius de morte eius affertur, tempore & habitu conuenientibus. Expeditioni in turcas uehementius incubuit, & festinantius, quàm esset è ualetudine, & alieno tempore, cum recens redijsset è balneis, obijcientibus amicis senium & ualetudinem. Patebit, inquit, in cœlum reditus, si Romam non dabitur. Et phano expugnato, sublatis in cœlum manibus, rectè, inquit, habet, Iam uocor ad bellum meum. Accelerarunt eius profectionem Philippi Burgundi magnificis promissis, & præterea Telephi Armeniæ, & Georgij Persarum, & Asiæ Mesopotaniæ, & Gorgoræ maioris Hyberiæ, & Vitebechi minoris, Regum Oratores Romam unà ad eũ missi, diuersa lingua, habitu dispari, & cæteris quidem tonsi erant in

morem nostrũ capilli. Mesopotamiis globus unus in cincinni speciem relictus intonsus, Vestes omnibus laxæ deiectæ, pileo prælato & sublimi. Horum cum unus dies singulos uiginti carnis pondo deuoraret, Si in conuiuio, inquit, & umbra his sociis dimicandum erit nobis, iam uicimus. Oratio eorum grauis & stricta. Centum uiginti milia armatorum pollicebantur, & Pancratium Hyberum socium belli, uirum magnæ in re militari authoritatis, quam summam cum audisset, non creditam, & luxuriæ quàm bello aptiorem ratus: alere, inquit, tantum exercitum difficile erit Europæ. Maturandi caussam etiam Pannonij dedere, quos postulasse à Turcis pacem constabat, conditionibus admodum iniquis. Quare misso statim equitum mille in annum unum stipendio, ac spe aduentus sui facta, in fide continuit. Crucesignatorum etiam concursus ad Anconam factus, quos ad triginta millia ex Gallia atque Hispania error attraxerat, uulgato temere Pontificem omnibus, qui ad bellum transmarinum proficiscerentur, & nauigium ad traijciẽdum, & uictum ad finem belli suppeditaturum. Igitur præmisso ad eos in aduentum suum cõtinendos, Carauaialio Hispano Cardinali, ac rebus per Italiam omnem compositis, xiiij. Calend. Iunias Roma proficiscitur, re diuina in templo maximo ad Vaticanum peracta, in quo descendere quoties urbe abiret, & aras singulas ordine uenerari consueuerat, ibi omnibus ad precandum rerum successum inuitatis, festinato ad pontem Miluium lectica delatus est. Auidius suscepto itinere incidit in febriculam, principio haud satis cognitam medicis, & ipse ne quid moræ obijceretur aliquandiu suppresserat, ea iam aucta magis quàm ut dissimulari posset, medicos inhibuit ne cui patefacerent, iureiurando & imprecationibus adactos, Ad pontem patribus ac turba omni dimissa, cum paucis lembum conscendit aduerso Tyberi nauigaturus. Cum effusa patentibus pratis ciuitas abeuntem cõsalutaret, ac reditum audienti precarentur, prupit in lachrymas. Substitit nocte prima ad Castellũ Loboleum, confessus nauigationem eius diei difficillimam fuisse contrario flumine colluctanti, quod ex imbecilli potius ualetudine, quàm labore accidisse putatum est, nec ausus in ripam descen

Pancratius Hyberus.

Crucesignatorum concursus.

dere, graui defatigatione confractus, noctem totam egit in lembo. Postridie quanquam inhibentibus medicis matutinum iter, multo ante solis ortum soluere cum iussisset, ad oppidum Phianum peruenit nauigatione longissima, quadraginta milibus passuum uno die confectis. Cū pridie illius diei ad decimum miliarium substitisset, pernoctauit & secundo in flumine. Hoc in loco dum ageretur de parte classis quæ structa ad portum Pisanum penetrare in superum mare per fretum siculum iubebatur, uenireque Anconam ad copias excipiendas, nūciatumque esset, triremes Genuensium ad uaues onerarias, quæ ad summam classis pertinebant nondum esse paratas. Et præterea Philippum Burgundū profectionem uerbis extrahere, commotus animo est, auxit molestiam prolapsus è ripa demersusque in oculis adolescens ad remigium mercede conductus, tarde accurrētibus nautis, quod adeo tulit acerbè, ut precatus ueniam extincto, & abominatus casum nec lachrymas continuerit. Ad radices montis Soractis tædio nauigationis simul & mœrore extincti iuuenis, exponi se primum nauicula iussit, quæstus semper sibi nauigationes malè cessisse. Quod uerbum sinistre accipientibus cubicularijs, & quid committeret se toties præsenti periculo interrogantib. ratus ad deterrendum se ab transfretatione Illyrica dictum, quòd sciebat inuitis multis se Italia excedere: neminem, inquit, cogimus, nec aliud locutus, reponi in lembum se iussit, Prouectus ad xv. millia passuum lectica confectis supra Ocriculum, maximè consternatus est, obuia cruce signatorum multitudine, quos moræ impatientes retinere Caruaialius minimè poterat, & agmine cū reuerterentur, nec rapinis abstinebant, quocirca medici auersuri eo spectaculo illius oculos, obcludi lecticæ uelum perpetuo itinere, cau sati uentos, iusserunt. Ab Ocriculo per Narniam Interamnamque Spoletum ægrè, & itinere quatuor dierum peruenit, conquieuitque totum triduum, & arce communita præsidium auxit. Iter deinde à læua per Fulginenses agens. Fulginensium quosdam subsequi ad Assisium iussos relegauit, præfinito in reditum suū exilio ausos & cœtus cogere, & præfecto urbis ubi ille Italia discessisset, iam tunc insidias pręstruere, tyrannidem sibi per cędem

arreptu-

accepturos. Instaurari & Assisij utranq; arcem iussit. Superato deinde ad Fabrianum Apēnino, iter flexit ad phanum uirginis Laureaneę uota nuncupaturus, ubi & aureum obtulit calicem, ac pateram eximiæ magnitudinis. Ingressus Anconā xv. Calēd. Sextiles, Supplicationes trium dierum decreuit, præfatus initia rerum deo, cætera uirtuti commendanda esse. Nuncio allato de incursione Turcarum in agrum Ragusiuum, milites ducentos ad corporis custodiam comparatos, cum paucis sagittarijs trireme expedita nauigare extemplo Ragusium iussit. Triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deferri se iussit ad primū littus classem inspecturus, eaq; inspecta, subgemuit, una edita uoce, nuper sibi nauigādi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus solui statim profluuio cœpit. Medicis nihil periculi promittentibus. Et hæc quoque principum miseria est, inquit, ne in morte quidem carere assentatoribus, Postulauitque eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Laurentanum. Acciri deinde patribus iussis, hortatus est in expeditione persisterent. Triremes & quæ in portu erant & quas uenire per fretū Siculum nunciabatur, tradi Venetis iussit. Pecunias ad aureū nummum quadraginta millia ex decimis exactas Mathię regi Pannoniorum mitti in sumptus belli. Cum deficere uires sentiret, reijciens sese in Cardinalē Papiensem, fili, inquit, curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo an sepeliri Romæ se uellet, non tenuit lachrymas, subdens, & quis id procurabit? Illo recipiente se curaturum, refici uisus est. Vocauitque patres ordinę ad osculum, postulata prius à singulis uenia si minus recte rem Christianam administrasset. Lachrymātibus omnibus & Bessarione eius uerba de re Christiana sanctissime gesta excipiente, iterū amplexis omnibus inungi se iussit. Vbi concurrens & ipse precibus inter hymnos expirauit, uoce ultima ęgre ędita, rogare oēs pro se precarentur. Decessit anno ætatis suæ nono & quinquagesimo, religionis nostrę Millesimo quadringentesimo, sexagesimo quarto, decimaocta. Calend. Septemb. ex quo pontificatum inierat anno sexto. Polin

Turcarum incursio in agrum Ragusinum.

Pij obitus & etas.

ctores curato corpore cordatissimum affirmauerunt, præcordia execta in templo diui Ciriaci recondita fuere. Corpus decreto patrum subsequentibus ipsis relatum Romam est, & in cella diui Andreæ sepultum ad Vaticanum.

Vita Pij à nobis paruo conclusa libello,
Digna elephantini tergoris orbe fuit,
Larga, sed hoc illi Papiensis uena, nec unquam
Dum cœli stabunt emoritura, dabit.
Campani exigua, & riuo deducta minuto
Non explet, primum uix rigat illa labrum.
Cum tua mox ædes nūc pressa uolumina, dicent
Campanus dormit, suscitat iste Pium.
Debilis & quamuis, atq; omni manca labori
Magnum si tetigit, dextera iuuit onus.
Si ego pone sequens, & post tua terga, priorem
Laudabo, atq; autor non ero, testis ero.

Finis.

Esse hoc in tumulo Pium secundum
Ne tu crede, Pius petiuit astra.
Terris gloria nominis uagatur,
Præterquàm ossa nihil reliquit urnæ.

MICH

MICHAELIS FERNI

MEDIOLANEN. IN IO. ANT. CAMPANI, VIRI VIRtute illustris, Poëtæ & Oratoris clarissimi à se æditam uitam, Præfatio.

QVàm magna, potens & sublimis uirtutis sit gloria, facilè ostendit, quòd illius laudes præconiumque nulli hominum unquam recusauere. Et quo quisque præstantior inter mortales, & uirtute ipsa ornatior se præstitit, eo plures ad illius gesta, dicta, scripta, celebranda accessere. Hinc uir ille præclarus Plutarchus uirorum illustrium uitas, quę memoriæ digniores uidentur, perscribendas sibi delegit, uirtuti illorum uberrimũ præmium daturus, si æternitate suis scriptis donarentur. Nostri postea in Latinam orationem illas uertere. Eo omnes certe cõsilio, quoniam intelligerent illorum exemplo reliquos ad uirtutem capessendam excitatum iri. Sic nullam ętatem futuram esse, quam uiri æternitate ob præclaras res domi, militiæ, pace, bello gestas digni, non illustrarent. Inter quas quoniam Plutarchus ille plus rei bellicæ & militaribus uiris indulsisse uidebatur, Varrinus uir unus mea sententia in hac nostra facultate doctissimus, Platonis & Aristotelis ex integro conditas ad calcem uidetur locasse. Ne nobis uiri quoque disciplinis illustres, quando aliena uita nobis ꝓhibetur esse magistra, deessent, Quorum contemplatione, nos quoque & ad philosophiam & bonarum literarum studia erigeremur, erecti incenderemur, incensi proficisceremus, proficientes laudari ipsi aliquando & uirtutis lauream gestare pariter promereremur. Illius ego exemplo uideor operæprecium facturus, cũ in lucem Campani opera tanto labore uendicarim, Hoc quoque si probatissimo sudori accedat, ut illius uitam tradam posteritati. Res certe ingenio maior meo, Sed quam mea in illius uirtutem pietas non sinit me refugere, tanto ampliorem consecuturum laudem, quanto imbecillior animo, uastiori pro uirtutis preconio prouinciam grauissimam non expauero obire.

VITA

IOAN. ANT. CAMPA-

NI VIRI VIRTVTE ILLVSTRIS, POETÆ ET ORAtoris clarissimi, per Michaelem Fernum Mediolanensem, VITA.



Campani patria.

OANNES Antonius Campanus, quòd Campania oriundus esset cognominatus, Cauellis pago perobscuro non longè à Gallucio Capuani agri oppido, parentibus ignobilissimis ortus, patrem trimus amisit, matre quoque haud ita multo post orbatus, propinquorum curæque matereræ magno à parentibus studio relictus, custodire oues puer in pascuis cæteraque uilissima rusticana ministeria aliquandiu obire præ paupertate coactus est, Inde sicut uirtutis fortunæ signa nonnunquam mirifica in pueris elucent, quoniam futuræ magnitudinis cõplura præsagia parentes obseruassent, & carmina iam illum latina, cum nondũ literas nosse posset, prima inter infantię balbutimenta puerilesque cantilenas, nõnulli miraculi modo exprimere audiuissent, & magna illum teneri literarum delectatione perpenderẽt, spe ingenti augustioris fortunæ elati, cũ facultates non paterentur, ut ille domestica impensa literis dare operã posset, Gallucium ad sacerdotem paternũ amicũ erudiendũ simul, simul ut illi in domesticos usus deseruiret, cũ primũ per ętatem licuit, detulerunt, Sacerdos liberali agnito pueri ingenio, mansuetudine simul deuictus, & humanitate, illiusque in se obseruãtia, non ulgari eum cœpit amore complecti, Ita ubi profecisse secum illum plus quàm suæ esset facultatis, & ætas præstare posset, crederetur, ratus impium esse immane & nefarium scelus omnem tantæ indoli opem non afferre. Neapolim illũ, ne quid studia literarum intermitteret, perducere constituit. Et quod constituit uir bonus cardo tantę uirtutis & autor unus effecit, Forte Carolus uir quidam apprime nobilis & ex Neapolitanis primoribus duos tunc habuit filios, quibus pædagogum uita admodum & literis spectatum domi in-

Campanus Neapolim ad studia missus.

inducere cupiebat. Ioannes Antonius puerum uix egressus, ubi primum Neapolim peruenit ingenij pericula quanta natura spō te submittebat, ullus adhuc præceptor non tradiderat, inter æquales edere cœpit. Quibus cum admirationi oībus foret Carolo indicatus, statim apud illū honestis cōditionibus susceptus est. Per id tēpus Laurent. Valla, uir in literis clarissimus Neapoli publicē profitebatur. Hunc summō studio Io. Ant. audiuit, non ille urbe uagus, fora, ludos, & cętera quibus ea ętas plurimū capitur, sępe corrumpitur, secutus. Literis dies noctesq; incumbebat, tanto ardore, ut quanto ęquales post se interuallo reliquisset, tantū par Vallę iam uel in prima lanugine à plærisq; factus haberetur. Acerrimæ sæpe dissertationes, ingenium lubricum & subtile, uiuaxq; & diuina prope memoria, eo Vallā sæpe compulit, ut cogi se uni huic post tot hominū millia quibuscunq; disputandum fuerat, palmā permittere fateretur. Huius laudabat palam admirabile ingenium, & plusquàm humanā tam breui temporis curriculo adeptam doctrinā, Hunc quoties sermo incidisset, amplifs. laudibus inter literatorum cœtus in cœlum ferebat. Ciuitas hunc tota suspiciebat. Et lustrica iam abolescente fama celebritate Cāpanus, sicut solēt summa quæq; & clarissima ingenia nationis suę nomen ad gloriam peculiarem sibi uendicare, de patrij soli nomine nuncupatus, in omnium ore uersabatur, Palmariūq; solus literarum ea in urbe prætendebat. Sublime & excelsum ingenium cui ex humili stirpe nato nihil nisi prędarū & illustre animo confidebat, ratus miserrimam semper extitisse Grammatices professorū conditionem, ut aliquando ad uberiora studia se transferret, Legib. operam dare decreuit, quibus non tam maximas posse conflare opes sperabat, & genti suæ lucem aliquam inferre, quàm ut inde maximorū principum aulas maiore legum plausu & ornamento posset frequētare, & ad fastigium aliquod dignitatis aliqn̄ peruadere. Ita imbutis iā sexennio Caroli bonis literis filijs, abeundi potestate impetrata, ad suos reuersus cū, ꝓpinqui illi molesti esse non desinerent, utq; uxorē duceret enixè obtestarētur, breui commoratus, cōparatis quæ necessaria, cū itineri tum ipsi studio uiderentur, rebus oībus, cū fratre unico Senā, ubi legū gymnasia

Campanus Grammaticorum conditionē sprēuit.

gymnasia celeberrima extare audierat, petere est aggressus. Alfonsus contracto ingenti in Senenses, Hetrusco bello, quod ad uersus Florentinos gestum fuerat odio, magnis tunc forte copijs illos inuaserat. Totaq; Hetruria, ut sunt quælibet loca belli tempore ad arma excitata, latronibus infessa erat. Securus Campanus, & nihil totus ad musas productus, hostile in se cogitans, iam in agrum Senensem penetrarat, Cum adoriũtur illum de improuiso in Orcea ualle latrones, impetumq; furentes in eum faciunt. Examinatus ille subito pauore cum germano charissimo, ad diuersa tendens, in fugam effusissimam se dedit. Quoq; expeditius euaderet, terga hoste premente equo resiliens, uestibus etiam deiectis, per deuia rupibus præcipitem se egit. Latrones præda potiti haud ultrà illum insecuti sunt. Conuento multo demum de summis montium uerticibus, clamore fratre eandem quoq; fortunam passo, spe Senę petendæ sublata, in proximam ciuitatem Perusiam, studiorum altricem nuda duo corpora deflexere. Perusiæ Nicolaus Sulmonensis prothomedicus regius, miles & in philosophia præstantissimus publico aureum mille nummũ stipendio medicinã profitebatur. Huic non mediocri familiaritate ut semper uirtus aditum sibi apud eruditissimum quenq; patefacit, Neapoli Campanus notus fuerat, Itaq; ad illum rectá contendit, Miseratus casum, Sulmontinus uestem præcurtam, eamque pertritam, calceos, apicem, reliquaq; indumenta perquam benignè pro fortuna largitus est. Cœpit tum Campanus obire gymnasium, & cuncta subodorari. Ad auditorium Guidi grammatici prouectus, illius demiratus in tãta urbe minimam eruditionem, quo tamen eum infesto tempore amicum pararet, elegia illum laudauit, Carpere Guidus carmina insolentius, Quod ubi rescinuit Campanus, iam palam facere illius ignorantiam, quando ille irritasset annixus, Dictaq; cæteris scholasticis hora, easdem lectiones quas ille legere, publicè aggressus est. Guidus doctrina Campani & eloquentia perterritus haud amplius legere publicè ausus. It subito per urbem Campani fama, eum uidere, eum alloqui omnes gestiunt. Ille humanitate & comitate incredibili omnibus se permittere, unumquenq; docere, instituere. Hoc legente reli-

Bellum Alfonsi contra Hetruscos.

Orcea uallis in agro Senensi.

Camp. cum fratre nudus latrones euadens Perusium uenit.

reliqua frigebant subsellia, omnis ad hũc concursus, huius legendi maiestatem, cum doctrina ualidum latus uocemq́ʒ demirabanł tur & obstupescebant. Iam non ille uir mortalis creditus, nonnũquam & incognitum coelo delapsum numen census, Hũc in prãdia, hunc in coenas cuncti deuocabant, Multi illi hospitium exhibebant, rogabant, obtestabantur. Ille cunctari, urbemq́ʒ parumper explorare decernebat. Deniq́ʒ cum multis eum precibus defatigasset Anthonius quidam sacerdos, pristinæ presbyteri in se charitatis memor, erudiendi nepotis conditionem non aspernari constituit. Inde, quoniam audiebat Crispolitorum familiam opibus & nobilitate insignem, precibus Io. Babtistæ, eius qui nunc est canonicus Basilicæ Diui Petri, uiri optimi & non uulgariter eruditi sollicitatus, iam animo agebat apud eum consistere, cum Nellus Balionus uir maximæ in ea urbe authoritatis, & primarius, ad se illum uix dum uigesimum apud sacerdotem agentem diem, illius fama permotus, maximis conditionibus Nicolao ex Pãdulfo nepotulo suo doctorem acciuit. Dictum extemplo illi ex publico centum aureum nummum publicè profitendi stipendium, Solusque Campanus in se oculos totius ciuitatis uerterat, Ille quo maius de se periculum faceret, & suapte natura gloriosus ampliorem gloriam sibi compararet, totumq́ʒ quantus esset populo se proderet, orationem postero anno initio studij habere constituit. Fama totam urbem eo die conciuerat, Et alterũ Ciceronem, alterum Hortensium audituri uiri quiq́ʒ doctissimi, seu illi liberalibus studijs uacarent, seu legibus, seu artibus & medicæ notioni, seu philosophiæ, etiam armis & bello uacarent, ad illum conuenerant, Ille orsus à Grammatica, inde per singulas scientias peruectus, tanta facundia, tanta dignitate & memoria, Inuentores scientiarum & qua quisq́ʒ claruisset, quid unaquaq́ʒ utilitatis afferat, ad horas tres explicauit, ut integro triduo aliud quã de oratione illa urbs tota Perusina non locuta sit. Digitis illum sibi inuicem leuibusq́ʒ submurmuraminib. indicabant, & nemo erat qui Campanum non coleret, non obseruaret, quæ quisq́ʒ poterat munera dabat, ad felicitatemq́ʒ sibi deputabat, cui illum sibi amore deuinciendi beneficiaque conferendi occasio sese offere-

Crispolitorum famil.

Camp. natura gloriosꝰ

bat. Hac igitur tanta Nelli totiusque in se populi beneuolentia, & hoc studio iam denique Campanus quid in omnem fortunam præstaret uirtus, cœpit intelligere, qua inops miserque quod sustulissent prędones immaniter, tanta charitate apud populum bello & literis gloriosissimum, unico ipsius uirtutis præsidio, longé cumulatius reciperet. Itaque quando res bene his studijs uertisset, illis totū se permittere cogitans, literas quas hactenus non pertentarat græcas, quod lucem permagnam afferri inde uiro latino perspiceret, addiscere animo proposuit. Et cum Perusiæ uir eruditus nemo esset, iam Patauiū traijcere consilium inibat, cum Demetrius quidam è media Græcia uir spectatus doctusque, & quod illi maxime semper placauit, Academicus, Perusiam forté appulit. Hunc confestim in domum herilem suscepit, græcūque doceri cœptus, mirum quàm breui doctissimus euasit. Nec his contentus disciplinis, consuetudine Sulmonensis philosophi acerrimi illectatus, degustata quantū ad nitorem liberalium studiorū & oratoris perfectionē necesse arbitraretur, Iuris cognitione, ad mathematicos & philosophiā totum se transtulit. Dialecticos nouit quidem usus Herculano præceptore, Contempsit tamen semper magnifice, ut qui intelligeret recludere eo modo inter arguendū oculos expedire, illis tamen ad contentiosas cauillationes superuacaneum insudare. Ita bienniū sub Sulmontino, cum interea ipse & publicé legeret, & historiam atque alia complura uolumina conscriberet, Philosophiæ operam nauans tantum profecit, ut Sulmontinum sæpe inclamasse constet: unum à natura proditum Campanū esse, cuius ingenium & capere omnes disciplinas posset, & in singulis mortalibus reliquis prçcellere. Hortatuque iuuenem ad studia, mirificis illum semper laudibus prosecutus est. Per hæc tempora pater Archiepiscopi Beneuentani præsidis Perusini mortem obijt. Is exequijs peragendis quanta maxima posset pietate & dignitate pompa intentus, non modicum ad solennitatem & funeralium decus & ornamentū conferre Campani eloquentiam ratus, illi funebris commendationis munus detulit, in quo parentem dijs proximum, adeo uis est eloquentiæ potens, dotibus animi, fortunis, & mortis genere esse demonstrauit.

Demetrius Græcus Academicus.

Ma

Magna me semper admiratio detinuit, quæ nam tanta fuerit antiquis illis patribus ingenij potestas, & laborũ patiẽtia, ut cũ maximis traherentur publicis negocijs, ea tñ ediderint monumenta quibus duas tu uix suffecisse uitas, nedũ unam ipsamq; multarũ rerum curis distentã, planè existimaris. Excussit mihi hanc admirationẽ Campanus, paucos qui immoratus Perusiæ annos, grecarum literarum, iuris ciuilis, dialectices, philosophiæ studijs, crebris orandi muneribus, assiduæ publicæ lectionis & priuatę cura interpellatus, tñ unicuiq; rei operæ inpenderit, ut cum præstitisse singula illa quidem luculentissime cernatur, tũ opera etiam prę stãtissima, de morbus, & in philosophia, libros historiarum, elẽgos innumeros edere potuerit, homo ad negocia ad utilitatẽ humanam natus, stomachatus non modicũ cum plurimorum eius ætatis, cum homnium cæterorũ, tum regum impudentia, Quippe quòd prę clarissimis affecti illi quidem beneficijs oẽm beneficiorum memoriã per summã ingratitudinẽ abiecissent. Cernẽs philosophorũ græcorũ seu Latinorũ nullũ adhuc eius detestãdi criminis opus cõfecisse, aliquid scribere ipse statuit, unde sibi immortalitatẽ acquireret, cæteris aĩantibus utilitatẽ conferret. Itaq; ad Pandulfum Nelli filiũ, qui ab ingratis malè & ipse aliqñ habitus esset, uirũ militiæ deditũ quidem, sed nõ mediocriter in literis quoq; uersatũ, de ingratitudine fugienda opus conscripsit, in quo ingratorum gñа cõplexus, post longã dissertationẽ ingrati perfidiam oẽ superare criminum genus, quin etiam fomentum præstare, malorumq; caput & fontem fœcundissimum omnium esse, tribus libris demõstrauit. Postea ad historiam Bachi conscribendam multorum rogatibus, uniusq; potissimũ Petri Ioãnis Bisocheti uiri Surianæ suæ hortatu, etiã stupore rerum à Brachio gestarum Perusiniq; splendoris, & gloriæ cupiditate excitatus, eã tanta cum dignitate & laude perfecit, q̃ta collata acie cũ ueteribus decertare possit. In secessibus ille, in itinere, medias inter uolupṫates, noui semper condebat aliquid, Ad Thrasimenum aliqñ segressus ita eam lacus oram perscripsit, ut lustrare lacũ, piscari, ancupari, ipseq; adesse ad cuncta legendo uideare. Fuit illi in oratione soluta facultas & gratia, sicut adhuc nemo demirari desinit

Campani opus de ingratitudine fugienda.

summa, qua plurimum pro moribus & uitæ instituto illectatus est. Verum enimuero in carmine tantum præcelluit, quia non dum tantillus expressit, ut ætatum nostrarum conferantur illi ad huc nulli, ueterum concedant permulti. Nec principum ullus fuit, qui non ad summam gloriam sibi deputarit, si huius amores carminibus celebrarentur. Eam ob carminis gloriam Braccius ex Malatesta Nelli nepos, qui postea Pandulfum consanguineum studio partium & imperandi cupiditate internecauit, haud uulgariter uatibus in amoribus delectatus, celebrandæ Dianæ puellæ suæ occasionem nactus, Campanum semper coluit & uene ratus est, quod ipse aliquando sic explicauit.

Maxima restabant tantarum munera rerum
 Vt dominæ faceret nomina clara suæ,
Hæc igitur reputans alto correptus ab igne
 Ad uatum tandem Braccius arma fugit.

Campani mores ac statura.

Erat Campanus omniū quos natura unquam in lucem edidit facetissimus, statura breuis, pinguiculus, teretibus membris, prę latis naribus, & subsimo naso, ocellis abstrusis, & intermicātibus sub multo cilio, & ad aliquam notam hirsutulus, Alioquin totus festiuus, gratia & dignitate spectatus, iocos serijs, seria iocularibus permiscens, & cuncta uenustate quadam risu & lepore perfundens: Qua genij benignitate ā natura datum carmen facetijs & lepore sententiarum demulsit semper, ut unus Pierides omnes quod aiūt in potestate & manu intra digitos habuisse credatur. Extant itaq; de Diana cui uerum Margaritæ erat nomen elegię, quibus si authoris nomen abstuleris, solius Nasonis esse decernes. Et cum hāc unius Braccij studio celebrarit, Surianam tamē suam Alfanam Syluiamq; suorum Perinellorum matrem, æstiuis secessionibus ad Tybridis undas ita lusit, ut nihil seu ille casus deploret suos, seu defleat amores, laudet, incendat, flammasque in puellam exerceat ad elegorum delicias illas, desyderari contingat. Surianam puellarum Perusinarum Petri Ioannis nuptam formosissimam ad carminis materiam sibi ob mores spectatos, & formæ præstantiam ne uiro quidem eius inscio lectam, ita uir modestissimus deperijt, ut nihil præter illius pudiciciam & hono

rem

rem magis concupiuerit, Quod his carminibus manifestè docet.
At mihi quid desit blanda & formosa puella?
Inuenta est ipso nec prohibente uiro,
Non ego furtiuæ posco mihi tempora noctis,
Si faues oculis, hoc satis esse potest,
Purpureum capiant alij uiolare pudorem,
Seruata nobis integritate places.

Harum autem omnium puellarum amores ad Sigismundum simul complexus, sic explicauit.
Nos quoq; fertiliter nostros defleuimus ignes,
Præbuerat primo Syluia ligna foco.
Alter ab hinc creuit stipulis maioribus ardor,
Hei mihi non habuit flamma secunda modum.
Per miseras iaculata faces Suriana medullas,
In cinerem potuit uertere quantus eram,
Perque meos etiam uersus cantata Diana est,
Hic quoq; non fecit uulnera, finxit amor.

His dum se studijs diuina Campani uirtus exercet, lumen uitæ suæ, studiorumq; alimentum extinctum est, Nellus herus ex humanis sublatus est. Mortis tanti uiri, utpote populi Perusini Principis, authoritate & opibus maximi, Calixtus Pontifex tunc maximus certior faciendus erat. Deligitur ad perferendas literas Cãpanus. Tunc illi primum uidere Romam cõtigit. Vbi regressus comperit funestam nondum pompam esse peractam, Commendationis funebris illi defertur onus, hic & si angustia temporis pꝛemeret, felicitate tamen ingenij mirifica magno prouinciam animo aggressus, orationem longè omnium quas unquam habuerit facundissimam, per illius uitam, gesta, & præclaras uirtutes peruectus, amplissima cum laude & illius gloria sempiterna habuit. Non multo post moritur Calixtus, Piusque eius nominis secundus sufficitur. Aduolant tota primo Italia mox reliquo ex orbe de more ad obedientiam Principum legati. Perusini quoque suam dicunt legationem. It Pandulfus, secutus hunc populi Perusini secretarius maximus Campanus. Hic cum immorari compluscculos dies contigisset, tantis rebus permotus Campanus, appo

ratum urbis, aduentantiumq́ pompam, & splendorem Oratorum, & orandi fortunas, nam & illic fortuna imperium habet, atque quam maximum, Iam tunc nescio quo fato Pij studio celebrandi percitus conscribere cœpit. Quod & nos in Alexandro pontifice nostro vi. Maxi. uno omnium quos reliqua demirata sunt sæcula prudentissimo, felicissimo, gloriosissimo, annixi fuimus. Auditis Pius legatis, atq; de more obedientia undiq; habita, fidei Christianę propugnator acerrimus Mantuanū contra Turcas cōuentum indixit. Perusiamq́; profectus, Inde Mantuam petiturus integro mense substitit. Pio uiri quiq; doctissimi moribus, & uita spectati semper deseruiere, nec ullum fuit memoria par cum eo, uirorum disciplinis clarorum illustrius sæculum. Inter quos Iacobus Lucensis, postea in Cardinalatu Papieñ, cognomen adeptus, uir in literis præclarus, & omni disciplinarum genere præditus, à secretis primarius, Idemq́; illi clarissimus & intimus fuit. Ad hunc quicunq; eximiè callebat (nam mediocria ingenia & literatulos nugaces aspernatus semper) literas, confluebat. Et in tota curia nemo tam sublimis & excellentis ingenij fuit qui huic tanquam numini cuidam literatorumque præsidi Diuo, se se non deuoueret. E quibus Franciscus Aretinus uir multarum rerum cognitione spectatus, authoritatis & beneuolentiæ apud illum maximę locum clarissimum semper obtinuit. Dum igitur Perusiæ paulum subsistunt, uaria eo modico temporis spacio inter Perusinos & Aulicos facta conuiuia. Quo quisque poterat conatu maiore, amicos domo suscipere, officio & beneficentia quàm obstrictissimos reddere. Docti doctis in urbe studiorum altrice delectabantur, studiosi studiosos conueniebant, officij & charitatis mirifica tota urbe inter literatos & literarum cultores certamina. Hic Matthæus Vbaldus Cæsarei & Pontificij iuris uir consultissimus, quem postea spectata iuris disciplina, mores integerrimi, cæterarum uirtutum ornamenta, quæ in eo præsul sere, semper quàm maxima ad præclarum & illustre orbis diiudicādi Rhotæ munus, ad quam nulli unq̄ nisi probitate & literis uiri spectatissimi admoti fuere, summo cum honore & gloria sempiterna extulerunt, ut erat estque uir literarum & uirtutis cultor

Mantuanus conuentus contra Turcas.

Ia. Lucēsis

Fran. Aretinus.

Matth. Vbaldus.

cultor ardentissimus. Franciscum hunc illi iam pridem amicum charissimum omni studio & liberalitate suscipiebat. Cui cum nihil iucundius delactabiliusque se præstare posse literatorum usu & consuetudine conspiceret, Campanum è regione uico eodem habitãtem sibi amore & incredibili familiaritate deuinctũ in mẽsa semper, tanquam altera suauissima fercula, conuiuam adhibebat. Eo enim usque Campanus unicè Mathæum dilexit cum gentis nobilitate & auorum gloriosa memoria, tum uero unius præsertim Mathæi ipsius uirtute, ingenio, humanitate, & gratia singulari, ut à strepitu Balioneæ domus, & tot hominum, quot principum in ædibus exulabant frequentia, ad tranquillissimam studiorum & bonarum artium altricem Vbaldorum familiam uniusque Mathæi domum transferre se sæpe cogitarit. Eo Franciscus sic delectari cœpit, illiusque ingenium demirari & suspicere, & uenerari, ut postea omni reliqua uita chariorem Campano neminem habuerit. Hic primo Teucros se Turcos appellasse ipsius etiam Pij iudicio quàm rectissime cum Campano retulisset, multaq; eius quidem luculenter & eruditè scripta ostentasset, afferri audio illũ de ingratitudine fugiẽda tum inchoatum opus iussisse, multaq; ex eo cum summa utriusq; delectatione lectitasse. Quo cũ nihil antiquius, nihil sublimius uel sententijs, uel ipso orationis splendore sępe fateretur, in id admirationis sublatus est ille, ut subito cursu ad Papieñ. tanquam miracula naturæ explicaturus aduolarit, Campanũq; adeo in cœlum laudibus, & quidem meritis tulerit, ut nec ipse Papieñ. ad quẽ olim fama peruenerat, colloquia uero intercesserant breuissima, magis quippiam quàm Campani familiaritate perfrui posse gestiret. Ita Campanus modice per negocia illi cognitus, tunc ad uberiores haustus arctissimæ familiaritatis, qua inter mortalia duo corpora tãtæ fortunę non maior erit, unius Mathæi Vbaldi beneficio, Franciscíq; opera, auctoritate, fundamenta iecit, ut q̃uis illius postea felicissimi uitæ cursus caussę, in plurimos referri possint, cõstet tñ certè Mathęũ ad tantã illius dignitatẽ, famam, gloriam, immortalitatẽ, ianuam adaperuisse. Admiratus ergo Papiensis illius ingeniũ diuinãq; facundiã, non ille dies, nõ ille noctes rogãdo destitit, donec

Teucri Turci.

spe & amplissimis sponsionibus hominem ad sequendam curiam perpulit. Et quoniam authoritas inerat Campano, iam tum summa, haud ita sub se accire ausus. Cum Bononiensi Cardinali uiro haud multo erudito, quæ tum una oblata est occasio, collocauit. Mox Saxoferratensi Cardinali in literis & theologia cõsummatissimo adhæsit, Apud quem in summo honore habitus de regendo magistratu opus diuinũ, de dignitate matrimonij & alia complura perscripsit. Episcopus deniq; Crotoniatum est creatus, ac breui temporis spatio rei familiaris ipsius Cardinalis præfecturam, quam isti domus magistratum appellant, mira solertia gessit. Nam sunt plærique literarum paulo diligentiores cultores, studio sæpe ita attoniti, ut illinc erepti, uix quod aiunt obtuso quodam ingenio insigniq; desidia uideantur esse uiui. Contrà ille excitatus semper uiuidus, & ad omnia gerenda negocia promptus omni tempore fuit, uti cui natura disciplinarum cognitionem & facundiam non roganti sudantique indulsisset, uerum aspernãti prope & despicienti ultro infunderet. Mantuæ annum eo conuentu immoratum est. Hic quoniam Pius poëtica delectatus semper, laureaque donatus poëta celeberrimus fuisset, unusq; in liberalibus studijs præter cætera summus haberetur, quicunq; ingenio niteretur, & dicendo polleret illi aliquid de officina sua exhibébat, Campanus edere iam tandem & ipse aliquid constituit. Huius ad se carmina cum uidit Pius, subito delectari ingenio incredibiliter cœpit. Et quod uni soli Campano contigit inter tantam poëtarum turbam, propria illi manu rescribere, ingenij permotus magnitudine, haud dedignatus est. Cætera iam tum primum unius Campani perspecta doctrina & elegantia desordue re illi ingenia. Hunc ergo ad se uocari iussum, Pius perbenignè complexus, amplissimis laudibus prosecutus, ut bono esset animo, uirtutemq; toto quod faceret animo complecteretur hortatus est, Seque aliquando illius memorem futurum pollicitus. Inde cum per ocium liceret, quoquo propè die illo delectatus est, huius censuræ iuditioque cuncta quæ conderet subijciebat. Iam nullus tota curia Campano nominis celebritate illustrior. Neque quisquam erat, qui creatum Cardinalem iri aliquando non augura

De regendo magistratu. De dignitate matrimonij scripsit Cãpanus.

raretur. Obtigissetque nisi fata nimium propere Pium abstulissent. Quę prima oblata est commoditas beneficia quædam ad uictum collata. Peracto conuentu Romam, quo intestina bella, Italiæque obortæ seditiones, & toto orbe exuscitata bella reuocarant, reditum. Vacabat gubernandæ rei publicæ Christianę Pius, studio & literis incumbebat Campanus. Quod ut existimationem suam inter patres, & apud Pium publica quapiam actione non tam confirmare, quàm augustiorem reddere, uti Perusiæ initio studij effecerat, posset, Cinericiæ orationis ad se deferri primum munus curauit. Hanc audiens Pius rapi uisus est rerum copia, ui dicendi, diuinaq; memoria obstupefactus. Ceremoniarũ magister, quem nescio an rectè sacrificulum appellarim, cum indicere silentium iam tandem longum oranti statuisset, à Pontifice increpatus admodum est, atque reiectus. Oratio hæc quanta ipsa fuit sese ostendit, Et adhuc strepitus ille laudum non desinit Ita Pius maiore indies stupore captus, Orator maximus, princeps mundi doctissimus, iam supra Campanum Oratorum facundissimum, disertissimum, consummatissimum charius habere uidebatur nihil, Darique sibi occasionem cupiebat, qua uirum tantum ad aliquod dignitatis culmen extolleret, Senas cum concessissent, Campanus luculentũ aliquid & admirabile in literis semper condebat. Et cum unus in oratione soluta præstantissimus habitus semper fuerit, in carmine tãtum illius emicuit, sicut supra docuimus ingeniũ, ut utro maiorem cõsecutus sit laudem, incertum adhuc relinquatur, Iam elegorum & flebilis carminis materia facesserat, Inter diuorum penetralia, inter sacros præsules, exulabant amorum cantus, & puellarnm amores sublati, epigrammatum unicum studium reliquerant, huius iam salib. & argutijs tota illectabatur curia, Vnusque Campanus Martialem excitasse, Ciceronem ex arce decussisse ferebatur. Pio itaque pro illius cælestis animi magnitudine & præstantia cuncta in uotum conficiebantur, uictorque in omni pugna diuinum pectus exuperabat. Hinc nactus Epigrammati prædulcem Campanus materiam, carmen hoc in laudem condidit.

Exemplum eloquentiæ Campani.

Campa. de Pio II. Epigramma.

Quod uictore Pio fieri tot prælia cernis,

Inualidaque suis hostibus esse manus
Ne mirere, Pium peperit Victoria mater,
Matris ab uberibus uincere sic didicit.
Quòd placeant syluæ magnumque lustrauerit orbem,
Syluius hac genuit conditione pater.
Iure igitur late spatiatur,& omnia uincit,
Patris obire orbem,uincere matris babet.

Hoc Epigrammate permotus adeo Pius, ut animi beneuolentis signa tandem edere si non q̄ta cuperet,at quibus non deesse animum,sed fortunę obstitisse inuidiã,quæ maiora nõ obtulerit, perspici posset,cunctandum sibi diutius non putauerit. Atq; ita Crotoniatæ fortè ecclesię pastore in Calabris destitutæ, insciũ illum,& ne id cogitantem quidem,cæteris competitoribus,& regia intercessione reiecta,euntibus in sententiam alacri animo cæteris patribus,ultro præfecit. Quib. exciderat per nouã dignitatem beneficijs ea confirmauit,bullas apostolicas,& cætera ad eã creationem necessaria gratis transigi iussit. Testatus inter patres negligentiam suam,qui uirum tantum hactenus nullo honore, quod unum uirtutum uberrimum est alimentum r.õ, condecorasset. Inde cum Teramen̄. in Præcutinis ecclesia antistite orbata esset,ad uberiores illius redditus sedemq; honoratiorem substulit. Iisdem diebus Saxoferratensis uita functus,huius laudationem Cãpanus in exequijs præ pietate in herum & obseruantia habuit. In qua uim lachrymarũ plerisq; excussit,cum gemebũdus mythratum se tum primum prodijsse deploraret in funere heri sui qui se aliq̄n mythratum uidere per iocum dicere consueuerat cupere. Erat enim lene Campano ingenium, ut hoc exprimere lachrymis posset melius nemo. Nõ passus deinceps Pius Campanum cuiq; præterq̃ uni sibi in Vaticano,& nepoti Card. Senen̄. suo inseruire. Per id tempus Andreas Cardinalis Papien̄. frater agminis præfectus,bello,quod aduersus tyrannos Italię,qui fide regia & ecclesiæ imperio defecerãt ab Pio, gerebatur supra Casniatium angustias acerrimè præliando sagitta traijcitur, & denique Capuæ mortuus magna pompa tumulatur. Huius mortem Papien̄. quòd unicus frater, quòd bello, qđ peregre, quòd in ipso

ætatis flore, quòd sine sobole extinctus esset ferre posse non uidebatur. Hic Campanus nouum consolandi hominum genus assumens, epistolam ad illum instar opusculi composuit, in qua antiquos omnes simul & nostros recensens, ita ex oĩ latere illi dolendum non esse ostendit, ut quod aiunt diuorum aliquibus contigisse, huic in aurem intra ipsum imo pectus & calamum immisisse superos arbitrere. Adeo diuina humanis, humana diuinis miscuit, ut nullũ locum quo dolorem nõ expugnet reliquisse uideatur. Laborauit haud ita multo post ipse grauissimo morbo quo contractis neruis oĩbus, credo præ nimio studio congelatus, & humoribus nimia sessione perfusus, qua ualetudine nec cum Pius in Turcas proficisceretur liberatus fuit, fotus denique balneis complurimis, meliuscule conualuit. Interea Pius Anconam profectus morbo dum in Turcas accingitur itque, extinctus ad superos translatus uita excessit. Corpus Romã relatũ quanta par fuit põpa tumulo traditũ. Sena quoque Pij patria, Piũ functum decus & ornamentum suum magnificentissimis exequijs, lachrymis & luctu prosecuta est. Illic Campanus funebri cõmendationi adhibitus uim omnẽ eloquentiæ fudit, Vitã, gesta, facta, dicta, quanto maximo ingenio potuit percensens, quantũ debuit præstitit illi quidem, illius gloriam, qui gloriosissimus oĩ uita fuerat auxit minimè, sibi aũt amplissimam laudem uel ex eo, quòd laudatissimũ principem mundi dominum laudasset, ex facundissima oratione oĩumque pręstantissima memoriã sempiternam acquisiuit. Mox nondum cõmendandæ tanti principis memoriæ expletus, illius uitã ab ortu complexus, paruo libello usque ad supremum diẽ, qđ & Platina officiosissime conscripsit. Paulus in Pont. Max. dictus, cui quanque notissimus gratissimusque foret, eius tñ ut maiorem in dies faceret in se beneuolentiam, coram eo inter sacra orandi munus, sæpius assumpsit. Itaque duas, alterã in festo S. Steph. in celebritate Pentecostes alterã de Spiritu sancto, oratiões elegantissimas habuit. Tum patrũ quoque demulsurus aures cõmendationẽ diui Thomæ ubi Pont. non adest, patrum studio non refugit. Ita oẽm uitã semper ad diuorũ preconiũ immortalitatẽque cum suã tũ alienã peregit Scribere uitã nõ laudes et ingenij uim cõtẽdere

propositum mihi est. Quamobrem luce quanta sit Stephani oratio, ingenij acumiue quanto plena, Quàm grauiter & quanta dignitate de Spiritu sancto, de cœlesti flamine amoreque Diuino dixerit, nihil iam permittor hoc loco afferre. Vnus fuit Campanus, qui uicia prorsus semper illa acerrima detestatus est, qui mores probos complexus in omni scribendi genere commendādos in alios ipse in primis præstabat, quicq; pugnam scribēs depugnabat, gemens plorabat, inter lætantes ipse plausu totus renideret. Consilio potens & maturus, in deliberando promptus & intentus. In diuinis uero ita emicuit, ut quę ad pietatem animosque exemplo permouendos pertinerent, pari orationis splendore & reuerentia præstaret cum diuorum gloria. Ad omnia idem tam grauis & erud. tus subitus & ex tempore quàm meditatus, & ex diuturna cogitatione ac studio longo, An non est mirum? Virū tantum principibus omnibus tanta beneuolentia copulatum fuisse. Pontificibus omnibus in summa ueneratione habitum esse, nunquam fortunam tantæ uirtutis merita laurea insigniendę occasionem obtulisse. Inter spem pollicitationesq; contabuisse, Hūc Pius, hunc Paulus, hunc Xystus summè coluere, & quod omnes cuperent, nemo uisus est meritum tantæ uirtuti pręmium cōferre potuisse. Pium multæ inuoluere curæ, ut cum amplissimo quoquo illum honore dignum existimarit semper, nihil tamen præter pauca, secundum desyderium suum minima quidem & tenuissima, dare potuerit. Paulus quoque spe maxima iniecta ante sublatus est, quàm uirtuti præmia pro animi magnitudine conferre licuerit. Cum tamen non exigua amoris signa iam tum edidisset. Nam dum Campanus nihil posthabet, quod ad curiæ gloriam uirtutisq; propagationem spectat, Archipresbiteratus in ecclesia Diui Eustachij præside suo orbatus est. Suffectus Campanus cum de more ad pedes Pontificis gratias ageret, festiuo uultu, Nam qui interfuere, id mihi integra fide referunt, Ecquid tu, respondit Paulus Campane? Cardinalis fieri non optares, Innitere disciplinis, & uirtuti quod facis incumbe. Nam tui memores docebimus nos aliquando esse, dedimus hoc Seneñ. mox cernes nos aliquid tibi contulisse. Qua uoce ita exarsit in

Paulum Campanus deuotione incredibili,ut nihil impensius ex peteret,quàm sibi ocium dari quo res gestas à Paulo scriptis suis posset concelebrare. Quod desyderium epistola longissima ad Paulum explicauit,laudes historiæ,ac eos qui facta sua à scriptoribus posteris demandari aduigilarunt recensendo, ut ille pari in census cupiditate, aliquãdo præmium tanto muneri posset repẽdere. Cæterum Turcarum impetus tantos cogitatus abrupére, qui maoires indies in Christianos clades inferre renunciabantur, & Germaniam ui magna adortus oppida diripere, ferro flamma que cuncta sternere. Pauida tota Christianitas in Pontificem oculos reiecerat, Ille hortari principes ad arma sumenda cœpit, Tũ Campanus maximè unus habitus idoneus,qui eloquentiæ uiribus animos principum ad bellum succenderet, scripta ad Ferdinandum de bello hoc suscipiendo epistola qua nullum neque magis necessarium neq; gloriosus aut utilius docuit illi bellum posse contingere. Demum quoniam quotidie maiores prædas facere Turcæ,magisq; ac magis in Germaniã penetrare ferrentur,legatum ad conuentum in Germania pro eorum ac totius Christianitatis salute habendum mittere Pontifex statuit. Prouincia ardua & perdifficilis,incertum ad eam rem quem ex patribus potissimum deligeret Pontificem aliquandiu habuit. Vnus omnium deniq; consensu Franciscus Picolomineus Card. Seneñ. uir oppido industrius,solertissimus,qui linguam,mores, nasumque Germanorum calleret,Ingenij magnitudine & prudentia singulari ad curandum reip.salutem maximè idoneus uisus est. It Comes Campanus qui oratione populos latina permoueret. Et qđ metus præsentis periculi non admoneret,uis dicendi, quæ sæpe quolibet potentior est gladio,ad arma capessenda,ad se hosti immanissimo pro fide seruanda obiectandum,dictis & lingua inflãmaret Hic igitur orationem omnium quas composuerit longè florentissimam,& in id quod assudaret potentissimam conscripsit,Propter discordias Germanorum principum, & ægre habitum conuentum non habuit, Hominum mores, cœli insueti intemperies, usqueadeo illum malè habuere, ut nihil unquam præter Italiam agitare animo uideretur. Inde morbum stoma-

Turcarum tunc in Germaniam irruptio.

Nasus Germanorum.

cho contraxisse putatū, quo uexatus comitiali creditus est laborasse. Extant ex Germania epistolæ quàm facetissimę, quibus illorum mores, eluuiē, sordes, situm & pedorem dū non potest pferre, nihil aliud q̄ Italiā tota die referebat se cogitare. Omnium elegantissima ad gentilem suum est scripta, qua uiros eius ætatis doctos omnes complexus, eorum consuetudine uidebatur non posse diutius cum uita carere. Inter Germanos dum adhuc essent Paulus supremū clausit diem. Suffectus Xystus. Nō multo post in Italiam legatus regressus, Tum diuina uirtus ocij nescia ne in curia detorperet prouincias gerēdas adsumpsit. Tudertinum primo Præsidatum nactus. Mox Fulgineæ præfectus. Tertiam inde Tyfernatium gubernationē habuit, Hunc tanti primo aduentū cum nondū pulla parcæ stamina nerent, fecit Xystus, cuius in gymnasio Perusino discipulus olim fuerat, dilexitq́ usq́ adeo, ut præsidatuum bullas expedire eum sit nunq̄ passus, semper ultro largitus. Ille ubiq́ miro prouincialiū studio susceptus iustitiam eandem oībus ministrauit, factiones odit, persecutusq́ magno animo, Nullā puto esse ciuitatē, quæ uel factiosorum improbitate uel patria quapiam alia malignitate non laboret & nequicia, un de cędes & scandala sæpe oriuntur, quę aures principū & pectus percellunt, pacemq́ & tranquillitatem urbis ac ciuium reliquorum confundunt q̄ maximè, eorum quæ pessima, ea maiori libertati permissa. Quo fit ut cum Tyrannidem oderim, ipse quidem semper, expedire ciuitatibus tn̄ unius imperio parere, cuius nutu arceantur mali, boni pacatissimē uiuant, sæpe existimarim, Sicubi terrarū pestis hæc factionumq́ detestabile uirus incruduit certè in ciuitatibus Romano imperio subiectis incruduit. Multiplices Pontificum curæ, & res complurium arbitratu gubernatæ ei rei maximū alimentum præstant. Plerisq́ magistratibus illustre illud & ad magnam gloriam cōtingit, si iusticiam æqui boniq́ consulentes recto ęquilibrio inter subditos seruauerint, si nō insolenter ad reip. utilitatem non ad propriam libidinem priuatumq́ commodum cuncta gesserint. Hoc in oī prouinciarum administratione non præstitit tantum Campanus, uerum etiam inter flagrantium factionibus ciuitatum tumultus, ubi non potest

Pauli Pōt. obitus.

penè

penè humani uis animi uaria sententijs non fluctuare, maximam inde commendationem integritatis reportauit. Nulli sicut indulgentius aderat amico, ita inimicorum, quos nullos omni uita habuit acrius quenquam insecutus. Vnde sicut odij nihil inter prouinciales contraxit, ita plurimum gratiæ & authoritatis semper liberalitate & beneficentia auxit, Colebatur ab omnibus, hora quaque omnibus fores patebant, Plenus maiestatis & iusticiæ oĩbus se exhibebat, Per cætera sermo liberalis uenustate & gratia decorus, ut iã oẽs illum parentis loco non præsidis prouinciales obseruarent, & numinis instar adorarent, quoq; magis adorabant, eo magis illum oĩ cultu & reuerentia maiore dignum inueniebant. Quoties apud Pont. & cæteros patres, ciuitates ipsę quibus præfuit summas cõmendationes retulerunt? scripserunt quoties? quoties pro rerum occursu nuncios miserunt? Hoc ille diuina uirtute promeritus. Non ille dies, non ille noctes pro salute ciuitatum quiescebat, oĩs temporis partem studijs, partem ciuitati gubernandæ, Valetudini partem, cum summa illius parsimonia dispertiebatur, ut unũquodq; studium, suum tempus uindicaret. Ita tñ, ut cum res deposceret, saluti ciuitatis oẽ conferret, & proprijs semper ciuium cõmodis anteferret. In oppugnandis malis, bonisq; defendendis alacrior nunq̃ ullus fuit. Nulli parcere, cunctos admonere, increpare, liberè quæ sentiret ex honestate hominumque omnium utilitate profari, animi magnitudine, & liberalitate incredibili. Sed o principes hostes, imo taceo, o tempora quibus omnes linguæ conatus ad adulationem assentationisque ob sccenitatem conferuntur. Quibus flagicium est nisi flagicium committatur. Non moneri, non audire ueritatem ferunt, ubi illa priscorum philosophorum frons libera? Vbi ille Diogenes? qui re uerbisque Alexandrum contempsit, tanta cum animi magnitudine, cui imperare se non seruire censebat, cũ ij sibi parerẽt quibus ille mancipatus cogeretur obtemperare. Amplissimus nẽpe dominatus, & clarissima imperij maiestas. Hos Campanus egregiè & imitatus est, & effinxit magnifice. Libuit parum euagari, nam petit dolor intima cordis, & exulcerat rei indignitas. Quod unde laudem ille potuit amplissimam promereri, ea in re,

miserrimam calamitatem Campanus consecutus est. Hæc illa cũ Cicerone penè simillima fortunæ mutatio, Perdidit illum uis elo quentiæ libertasque dicendi, Hunc eadem fortuna præcipitem ex ingenij præstantia cursuque scribendi ab omni felicitate deiecit. Cũ præesset ille Tyfernatibus Xystus quod Vitelli facto in arcem impetu eaq; demolita pro libidine urbe dominari insolentius uiderentur, ad eius urbis reformationem oculos detorserat, exercitumque eo, quo illorum temeritatem compesceret, miserat. Populus cæteriq; urbis primates omnia præstare imperataque omnia facere parati erant, exercitum utpote infrenem licencentiosamque iuuentutem admittere recusabant. Pontifex iam nullum precibus locum faciebat. Neq; ex authoritate sua ducebat, nisi urbem planè in liberam potestatem totis copijs accepisset, & pro arbitrio eam disponeret. Res ad bellum inclinabat his reluctantibus, illis aditum admotis castris petentibus. Totaque urbs belli metu trepida, eiulatibus perstrepebat, matres natos asportabant, puellas parentes consolabantur, ut cuiq; pudicitiæ cura erat, ita uestalibus se occludebant, quę quisq; preciosa haberet humi defodiebat, ad direptionem, ad incendium, ad iugulum, ad internicionem spectare omnia uidebantur. Tam miserabili ciuitatis conspectu pius præses Campanus permotus, quo in discrimine cũcta forent, qua immanitate cuncta gererentur paulo licentius ad Pontificem, ut maturius periclitanti urbi occurreretur scribere cõstituit. Epistola hæc, Ciuitas beatissime pater, incipit. Ea conspecta quòd admoneretur Pontifex, ne plus in perdenda ciuitate impenderet, quàm antecessores in acquirenda exposuissent, illaque immanitas prope Turcica uideretur, non quæ saperet saluatorem, eo Pontifex excanduit, ut eum confestim prouincia deturbari iusserit. Ille crimen, quòd monitus, imo sapientissimi uiri fuerat & religiosissimi appellans, in libertatem calamique lapsum reijciebat. Audiri à Pontifice, expurgare se ac supplicibus rogatibus ueniam impetrare nunquam obtinere ualuit. Credo quoniam subpudebat Pontificem uiro tam clarissimo tantum contumeliæ contra ius fasq; contulisse. Neque nisi cõfundi poterat conscientia ueritatis, si pontificia ueneratione præuin

ceret

ceret. Ita uir tantus de curia omni & ciuitate tota tam bene promeritus, ad decus & ſplendorem urbis, & gloriam Romani pontificatus tanto tempore attritus, functus præclariſſimis muneribus, uita integer, moribus probatiſſimus, ſcientia, quanta nemo unquam conſequetur, & ante ſæcula nulli adhuc uiderunt, præditus, exilium meditari coactus eſt. Cernebat uir prudentiſſimus ante oculos eius Pontificis uerſari, in cuius conſpectum admitti impetrare non poterat, eſſe non aliud, quàm incendium irati animi ſuffouere, nec diuturnitate flecti, ſed amplius eius præſentia maiore flamma prouocatum iri, Itaque Neapolim ad Ferdinandum regem, ſpe non minori quām qua in curia uixerat ut ſemper uirtus magnum aliquid quod utique conſequi deberet ſibi pollicetur, petere conſtituit, Primo congreſſu orationem habuit quām ornatiſſimam de regno & regis laudibus, mox in ſecretarium regium nominatus. Verum cæteri qui apud regem authoritate ualebant, huius diuinum ingenium conſpicati, quoniam cernebant poſſe ſe é primo huius uirtute loco apud regem aliquando deiici, multa in eum crimina, præſertim quòd formidando comitiali morbo laboraret, commenti ſunt. Rex nihilominus ſpe illum maxima ampliſſimiſque pollicitationibus confouebat, neque tamen promiſſa implebat. Hic cum neque commendationes Vrbinatis ducis de rege tam bene meriti, neque propria uirtus aliquid proficeret, deſpectuique ſe malignitate & proteruia paucorum inuidorum haberi cognouit, conſumpto uiatico, & tenui ſupellectili argentea obpignorata, qui amplius permorari nō poterat, Teranum (cum interea nihil ad detinendum Pontificem iramque literis & amicorum interceſſionibus demulcēdam poſt habuerit) recipere ſe coactus eſt, Hic etiam tentata ſæpe per amicos patres Pontificis uoluntate, cum cerneret amicorum omnium, ut eſt aduerſæ fortunæ una hæc inſignis calamitas, partim diſſimulare amicitiā, ſeq; ſenſim ſubtrahere, partim nihil præter magnifica per ſummā uanitatem, quod apud pleroſq; potentiores uicij arcem ſibi uendicauit, uerba dare, partim etiam Pontificem alloqui priuatis reſpectibus nolle, ad poſtremam deſperationem perductus, eo ſæpe incaluit, ut cum Turcis uiuere præſta-

Campanus in exilium.

Inuidia aulicorum in Cāpanum.

re contenderet. Quo si quãdo se contulisset, futurum ut reliquis mortalibus adaperiret, multorũq; perfidiam ac libidinem, Christianorumq; Praesulum, qñ id inter eos non posset, & pietas tanta immanitate plecteretur, palam, & reliquę posteritati cognita faceret, Grande ingenium, uiuaxq; in tenui corpore, naturae cuncta maxima complectebatur & suspiciebat, nihil illum molle, nihil nõ arduũ & excelsum habebat. Annis uero & dignitate pontificia peruictus, cũ Terami q̃diu fuisset. Senam quam semper dulci recordatione Pij adamauit, tandẽ peruenit, ubi ueluti fata sic deposcerent, ut in eo solo ossa cubarent, unde caetera uitae ornamenta consecutus esset, morbo diuturno detritus, post unũ de uigintí annos, quo Perusia abscedens curiae tẽpestatibus se permiscuerat. Cum annos iam quinquaginta superasset, Salutis Christianae anno ad 1477. Idibus Quintilib. diuinum spiritum tot praeclaris operibus uita manente fatigatum, ad superos, cum tamen supremam manum Vrbinati historiae imposuisset, felix tantarũ à se rerum gestarum, tantorum à se scriptorum monumentorũ memoria sempiterna, sacris omnibus christianis de more susceptis, hausit. Hic Campani exitus, cuius ingenij magnitudinis, & inter mortales excellentiae, sicut in ortu praesagia miranda extitere ita in morte ingentis iacturae & acerbissimi doloris clarissima signa uisa fuere. Cum enim mater diu sterilis desyderio prolis teneretur, nec iam ulla medicamenta respueret, quae gignendę sobolis uiam pararent, forte affuit mulier olim incognita, neq; ita porro à quoquã uisa, quae laureas baccas, quas alternis diebus ingluttiret, tradens, ita fore cõtendebat, ut amotis ui illarum, & uirute concipiendi impedimentis, haud ita multo post scitum puerũ qui his delectaretur enixura foret. Igitur sicut fides id saepe efficit, quod antea natura recusat, paucos post dies grauidam se mater ꝓpinquae puellae hymenęa cũ celebrat, esse cognouit, temperat illico è laboribus, & seruandi uteri sollicita, non nisi mollia immaturo partui & mitia negocia tractat, cum pascua, fontes, riuos, & florea, atque amoena omnia petens, forte in consitum uiretum domesticum fertur, ubi sub lauru non procul ab apum aluearib. & loco floribus & lympido fonte gratissimo, doloribus oppressa

Campani ac bus atque obitus.

humi

humi recũbere,gramineoq; in solo iacere cogitur. Nec festino ac cersita obstetrix nuncio tã prępeti cursu aduolauit,quin partum illa prius sospes quidẽ & minimo discrimine ediderit. Puer prio coelũ fixis spectare coepit nullo uagitu ocellis. Inde fronte læta & propẽ quę risum demõstraret,laurum diutius aduersum intuẽs, ad actrectantẽ mox obstetricem discretis interuallis & hoc patre admodum,cæterisq; demirantibus uisum ubi flexit,in maximos eiulatus prorumpere subito aspectu,quantum eius diei superfu-it,coepit,ut tenellũ corpus ueritæ matres tantum luctum sustine-re posse,de illius salute plurimũ dubitarint. Neq; sedari puer ante uisus est, quàm puerperę thalamum de more exornaturæ, cum reliquis floribus hædere laureaq; serta matres intulissent, quorũ spectaculo,tanq̃ natura delinitus ipsa,uagis oculis recreatus rictũ cõpressit,maternaq; reliqua uita mitior ubera suxit. Quod paren tes magis animaduerterunt,q̃m cum & sub dio ortum tegere fe-stinarent,hęrentem in laurus & apũ obtutu uix auertissent,ut iã tunc agnoscere illum uitæ authorem & semina suę acclamarent. Hoc aũt naturę cuiusdã euenisse casu,ppe uideretur, & ad infan-tilem quãdã uanitatẽ nec in nuper orto fortasse,admodũ alienũ deputari potuisset nisi aliud qđ subsecutũ est, admirationis pluri mum & spei in parentes reliquisset. Nam exceptam baiulis do-mesticis matrem cum foetu,longa apum examina ad fores usque cubiculi consecuta à limine cubiculi ad triduũ,& tunc quoq; nisi multo igne submoueri nõ potuere. Quarto die laurum, sub qua susceptus fuerat contemptis fauis inuentæ sunt insedisse. Qua purissimo mox delibuta melle,opere iam deliquente ita mox ex cessere,ut subita nece cognitę sint interijsse. Testatæ simul obscu ro portento ingenij suauitatem,gloriæ immortalitatẽ, & fluxæ eloquentię infaustum alieno in solo postremo uitæ spacio fatum. Hoc quoq; uarijs opinionũ ambagibus interpretatũ rem perob scurã faciebat,& prope apud imperitos agricolas nullius futuræ pueri uitę coniecturam reliquisset,nisi maternũ somniũ lõge ad mirabilius accessisset,In cuius recordatione ipse mecum mirifice confundor, quando somnia ipsa quæ unus quisque sapiens sem per contempsit,ita sæpe nobis uitæ futuræ rationem tanquam

per nubem aperiant, ut nihil eâ nos ludificatos esse re ipsa denicꝫ demonstrent. His enim admirabundam matrem portentis ferũt somnum oppressisse, uisamque ipsam sibi per somnum inter ardentissimas, neque tamen sibi noxias flagrantis syluæ flammas cum puero esse, Periculo admodum sollicitam, superos in auxilium deflagitasse, Subitocꝫ nymbo & horrida grandine, quæ longê acrius illam contudit, omne incendium restinctum fuisse. Voluisse uero pedem inde obiter efferre. At multo cinere ipsoque recenti imbre constratum, & lubricum solum, ut ne pedibus quidem consistere, nedum permeare liceret, reddente, digredi non ualuisse. Qua in anxietate cum diu remorata esset, seque iam auxilij spe circumquaque latissimè sublata, ad mortem componeret. Armatum iuuenem ad se, quem uenatrix infesto telo con sequebatur accincta mulier, accurrisse. Ipsam puerum peti ad necem, ignaram atrocissimi illorum belli, ueritam. Inter ipsa etiam exitialis apud prodigij somnia memorem diffugere uoluisse, Iuuenem blanda fronte opem deposcentem arcto puerum complexu comprehendisse, & perituro sibi auxilium implorasse. Nec mora ambos dimissa barba consenuisse, elatiscꝫ clamoribus quasi suo quodam iure in uenatricem uersos, illam non tam paruipendisse, quàm etiam seuerissime increpasse, Se uero tantis denique stridoribus, & tam acri certamine securam tamen uictoriæ, quòd illi pulcherrime se defenderent experrectum, puerum sicut fit, sub aurora ipsas inter maternas ulnas suauissime lalantem lætissimam à proximo metu cum summa admiratiõe inuenisse. Hæc postea illam sæpe inter educandum puerum futuræ infantis insciam fortunæ recensuisse, Et Campanum ęque id quid portenderet sæpe philosophantem cum multo stupore ex propinquis acceptum, compluribus in uita retulisse, neque adhuc quid ipsum sit satis deprehensum habuerunt ulli, nisi hi qui hoc mihi narrarunt, qui ad hanc suorum operum editionem contendunt omnia iam tandem spectare, quod quomodo id ipsum sit, uix ipse adhuc possum interpretamentum idoneum, quanquam nec abhorrens multum afferre. Mater & qui rem melius nouerunt, ad lupum referebant, qui impetum olim in se fecerat, & excusso

de

de gremio puero non tam non offenderat, quàm etiam dilaniatę ouis pelle contectum uidebatur, à cæteris lupis tutum illum & munitum reliquisse, alij ad alia quæ solius fati benignitate euaserat pericula conantur applicare, ea minus explere præsagium mihi quidem uidentur. Verum in hac tanta opinionum diuersitate id saltem cōstat, uitam Campani utilem charamque mortalibus extitisse, ipsas feras, animaliaque cuncta illam non expetijsse solum & illæsam præstitisse, uerum quando extinctus est, grauissimum etiam mœrorem præ se tulisse. Quo namque die emigrauit, ferunt magnum auium numerum Terami fenestras bibliothecæ irrupisse, alarumque strepitu flebilibus uocibus mœrorē luctumq́ꝫ grauissimum ostendisse, libros, scripturas, cæteraque rostro, pedib. eluuie confœdasse. In agris quoque paternis, & cō sito ad domesticas delicias Laureto, similem mœstitiam calamitatemque intulisse arboribus, poma, frondes, ramos ipsos nouo furore decussisse, cunctaque perinde atq; dimissa grandine deuastata postero anno exaruisse. Geminos quoque canes nasutissimos, quibus in uenationibus summa cum delectatiōe uteretur, iussos pridem ad illum perduci, domo uiulla tanquam ad prę mortuum herum frustra intelligerent se pergere, educi nunquam potuisse. Nec deinceps latrare auditi, aut ulli eblandiri uisi, inedia, luctu, torpedine, squallore defecti occidere. Instare fatalem diem supremosque uitæ parcas subducere fusos, uisus & ipse multo ante perpendere. Et qui meminisset quàm detestabile sit ingratitudinis scelus, quantaque accusatione sint digni nostrarum ætatum præsules, qui iuuenes apud se seruientes uitæ florem patiuntur, nullo tam præciosi exacti æui præmio absumere, reiectis in suos familiares oculis, Syrenulam suam Franciscum quendam Florentinum musicum uocalissimum, quem semper ob ingenium præclarum, spectatos mores, eximiamque uirtutem dilexerat, uir charitatis, humanitatisque plenus, memor quanta ipse ob angustam rem domesticam pertulisset, quid longa seruitus, quid obsequia dulcissima promerita essent, quid spectata multis periculis in illo uirtus exigeret, quàm tenui ope humana ad aliquod fastigiolum posse serpere cogitarat, perpetuo beneficij

Prodiosa in morte Campani.

maximi munere & libertate donare constituit. Non ille quod u-nus per mille erūnas consecutus erat, in cæteros neglexit, laboresque suos demēsus, eandem in reliquos fortunam, gloriosius inso lentiusq; expetiuit. Neq; cæteris ut ignauis despectis turgidius se se efferebat, aut unquam ad crimen intumuit. Cernebat anima cœlestis quot præclara rerum inopia depereant ingenia, ē qui-bus stipe collata, paruisq; suppetijs liceret multa quotidie ad orna mentū gn̄is humani expectare cum gloria. Ita Syrenulæ suæ mis sionem facturus ne quid ad excolendam uirtutē defuisse unq; si-bi caussaturus esset, diui in urbe Eustachij Archipresbyteratū pa terna charitate cōcessit. Cui rei cū aduersarentur cōplures, quod amplissimum sacerdotium quantum illi non quadraret conferre tur, iniuriæ Francisci sui seruitoris obsequentissimi pius patro-nus occursurus Romā aduolauit. Neq; cōquieuit, donec (qđ in simularent eum tantam dignitatē huic cōmittendā non fore) tā-tundem ex alijs collatis beneficijs contribueret. Morti proximus Anthoniū nunc Senis S. Galgani abbatē, uirum illum quidem doctrina & moribus herū plurimū referentē, cæterū herilis um bræ, dominiq; sui memoriæ parū mea sententia sollicitū curato-rē, nō minori charitate uisus est dilexisse. Cū enim quid de fortu nis suis oībus statueret, quem sibi heredē relinqueret percūctare tur, hunc dico, respondit, cuius uoluntas mea erit. Neque alias ta bulas supremiq; uoti aliud elogium cōdi sibi uoluit. Et quam sem per ualidus omni uita exhibuerat fortitudiuem, moderationem, sapientiam, incredibili magnitudine animi, ægritudine præstitit & morte. Medicinas omnes, tametsi parum profuturas cerneret, magno animo, ne sibi defuisse & desperasse crederetur sorpsit.
Non illum febris, non illum dolores, qui in morte incrudescunt acerrimi, & moriturū acie petunt, deiecere, non querelis, non la mentationibus, quæ mihi languentem uidentur admodum ali-quando reficere, cubiculun oppleuit, ministrosue singultibus con fecit, ut ne unum quidem omni bimestri ægritudine uerbum do lentius efferre auditus sit. Neq; quam diu decubuit interrogatus quàm bene se haberet, secus quàm benè, unquam respondit. Sic Campanus ex humanis sublatus, cuius ortum cæteraque uitæ in-

crementa, qui paulo impensius attendat, mirabilia fateatur extitisse necesse est. Cuius omnis ætas ad utilitatem humani generis semper ducta tanquam prouida sui reparatrix natura, hunc sibi edendum putarit, in quo multorum hominum ornamenta conferens, palmarium sibi potētiæ suæ constitueret. Vnus quippe Demosthenes Græciam facundia obstupescere fecit. Cicero unus Latinos omnes dux & parens eloquentiæ antecelluit. Inter argutias unus Martialis primum locum sibi uendicauit. Elegias Naso ad supremum admirationis cumulum procinuit. Historiam multi conamine uario gloria pari attigere. Et fuerunt præclara illa uirorum, quæ postea præter unum Campanum æquauit nemo ingenia, sed ita præclara, ut in unoquoque fuerint ea discretim à dijs immortalibus contributa. In Campano omnia cumulata. Hoc & ipse quod & ille perpulchrè cognouit, datamq́; à natura ingenij excellentiam, quod plerique omnes uiri in literis famosi effecere, carminibus & monumentis suis, celebrauit. In qua re utilitatem natalis soli, obscurumq́; genus suum ad gloriam deputans, utrumque genus & ingenium sic ipse coniunxit.

Gallucij in primis mœnia parua mei,
Sunt illic modicæ quæ me genuere cauellæ, — Lib. 2. Epigram. in decessu suo:
Parua, sed ingenio cognita rura meo.

Alio in loco ad Papień.

Mittere nil melius nostræ potuere cauellæ, — Li. 6. Epi.
Testata ingenium rura paterna meum,
Illic natus ego, quibus & sim moribus, & quo
Ingenio, dulcis indicat uua tibi.

Inde alio in loco famæ suæ admiratione sic cecinit: — Li. 4. ad Pium Pont.
Campano qui nunc crescebam incognitus agro
Iam prope sum tota notus in Hesperia.

Vix enim Perusiæ cognitus est, ubi septem postea egit annos, cum omni Italia circumferri, prędicari, coliq́; Campanus cœpit. Hinc ille per oēs ætates ubique terrarum ad hunc literatorū oīm concursus. In uita illum qui in templis, illū qui in secessibus, in mensa, in cubiculo semper stipabant. Gentilis uir apprime ea

tem-

tempestate facundus, & inter literatos celeberrimus, huic ita se deuouit, hunc semper ita coluit, ut ad magnam sibi gloriam duxerit, huius arcta posse familiaritate perfrui. Inde Donatus Aciarolus uir in græcis & latinis literis eruditissimus, in clientelam & seruitorem dare se multis uerbis ad eũ posse cõtendit. Hoc Quarqualius, hoc Domitius, hoc Marsilius, hoc Vallensis, hoc Platina, hoc reliqua doctorum hominum eius ætatis turba. Omnes eloquentiæ parẽtem, oratorum poëtarumque principem appellabant. Ad hunc quæcunque illi condidissent tanquam ad cõmunem censorem supremumque oraculum deferebant. Nemo literatorum ausus eo tempore quicquam fuisset edere, qui illius ante iudicium sententiamque non explorasset. Magnam is labori suo gloriam addidisse ducebat, cui huius commendatio accessisset. Hinc iam nemo impressorum in tota Hesperia ea tempestate opus imprimẽdum suscipere uelle uidebatur, cui illius commendationis epistola non præluxisset. Adeo clarum & celebre apud omnes, sanctumque & uenerabile illius nomen habebatur. Vnde cum Vuldricus quidam Gallicus tunc qui formas in urbem librarias nuper intulisset, interquiescere illum assiduis emendationibus non permitteret, denique literariam ex magnis difficultatibus inopiaque ad ingentem ubertatem gloriosissimo illo & diuino opificio euocaret, in illum iocatus hoc carmen edidit.

Anser Tarpei custos Iouis unde quod alis
  Constreperes, Gallus decidit, ultor adest
Vldricus Gallus, ne quem poscantur in usum,
  Edocuit pennis nil opus esse tuis.

Quando illius impressiones scribendi necessitatem pennarumque usum sustulisse uiderentur. Semper igitur de literis, de probitate, de spectatis moribus apud illum sermo. Non illi conuentus literatorum ad libidines, uoluptates, & uiciorum fomenta. Aberant detractores & maledici, non sermo mordicus. Nemini insidiosus, Neminem carpebat, nullius nomen famamq; lacerabat. Ad sui gloriam & immortalitatem, ad alienos honores, ad largitatem, ad beneficentiam semper expositus. Neque quod de Cantalico memoratur ad crimen imputari potest, quando &

id

id expetijsse, expectasseque Papiensem constet, & paterna charitas, domestica consuetudo, ingenij uersus bonum iuuenem liberalitas uisa sunt ab inuito exegisse. Et constat doluisse illum ueniamque ab eo non sui quidem prope delicti impetrasse. Nam cũ Cantalicus ille Papiensis aulicus domesticos iuuenis non illeteratus Cardinali libellum carminum compegisset, cuius in titulo Cãtalicus Gasparicus inscriptum esset. Cardinalis ut qui pro modestia iuuenis ingenium non carperet, alioquin graue & eruditum neque tamen pati posset, quin apud, Campanum risus sibi materiam faceret, libellum sessuro in prandium illi obtulit. Campanus contracto uultu simiæ similis, quam prope uultu effingebat, ubi gemina illa uerba, Cantalicus Gasparicus introspexit, inconditũ titulum illaboratamque eruditionem risurus, ilico calamum deposcit, hocq; Rictu lupus es cruribus asparagus: quo inconcinnitatem tituli, ac simul iuuenis corporis formam sugillauit, haud mora ipso stans pro mensa in uestigio subscripsit. Qua argutia & celeritate risum omnibus prope ad euisceratiońem excitauit, mox indoluit. Nec multo post pecunijs quibusdam, ac charissimo sibi libro cuius ille desyderio teneretur donauit, utq; diligeretur à Cardinali crebris commendationibus effecit. Vnus enim mortalium omnium fuit Campanus sicut alieni honoris, alienæ felicitatis cupidus, ita ad congerendas opes negligentissimus, diuitiasque semper animi magnitudine mirifica contempsit, ut tantum illas expeteret, quantum ad uictus necessitatem & munificentiam satis esse intelligeret. Cætera in fortunæ arbitrium habuit, eum se præstare semper conatus, cui si ampliores dignitates non accederent, hominum ea essent, & fortunæ culpa, non illius indignitas, & uitæ ignauia. Neque alia fuit caussa cur tantopere Theaneñ. ecclesiã tradi sibi cum in Fulginatibus degeret cõtenderit, quàm ut in patriam tandem se reciperet, seque totum studijs & animæ saluti suæ, suorumq; subditorum, felicioribus auris, & faustiori cursu contraderet. Oderat ille iam curiæ mores, & sæpe clam & literis detestatus est, admonebat etiam illum ualetudo uarijs morbis crebro lacessita. Et ad Deum, ad superos reliquos uitæ cogitatus referre statuebat. Fuit namque præter

caeteras animi dotes diuorum & omnipotentis dei obseruantissimus Cāpanus. Pietatemq; in superos, in patriam, in reliquos mortales, & in se beneficos quantum hominum omnium quisq; semper coluit. Nullus unq̃ in eum beneficium contulit, cui gratias ꝑpetua memoria referre non conatus sit. Hinc ille in se tantis populorum, principumq; omnium amor immensus, illa hominum oı̄m qui illius consuetudinem uel minimā attigerint obseruātia, illud benefaciendi, honoribus publicis & priuatis illustrandi inexplicabile studiū. Nam populos quibus pręfuit haud ita magni faciā, quorum suspecta esse in illū obseruautia potuit in quos ius habuit. Quid Florentinum populū? Quid Parthenopeū. Quid his proximiores? Spoletinos, Assiates, Camertes, Quid reliquos Italię principes? quorū priuata beneuolētia, ut publice coleretur qui ad publicā utilitatem priuatāq; quantus quantus erat, se semper exercebat, effecit: donarunt illum ciuitate uno oı̄m consensu Perusini. Apud quos publica munia cū summo populi obijt plausu. Non illū tanq̃ patrem, nā id minus arbitratus sum dicere, uerum tanq̃ dominum certumq; in terris numen obseruarūt. Quoties ad illos seu negocio uocante, seu ex itinere diuertebat, diuertit enim quoties oblata occasio, tanto honore, tanto comitatu suscipiebatur, perinde atq; Perusinorū princeps & dn̄s. Non ille amicicias, ut improbitas multorum est, ex utilitate & fortunae plausu metitus est. A quibus in calamitatibus suis adiutus fuerat, eis ipse in successibus & felicitate semper adfuit, & à quibus in fortunę splendore opem acceperat, miserrimis & calamitosissimis illis opitularē se pręstitit, fouit eos, tutatus, & quanta maxima potuit charitate cōplexus est atq; defendit. Pandulfum consanguineum ex eoq; unicū Nicolaū Balioniū, Braccius dn̄andi cupiditate atq; inuidia contrucidarat Ita urbs tota Perusina in Braccij plausu & fortuna conuersa erat, ut non tam Pandulfi familiae q̃ cęteris clientibus & amicis formidandus haberi potuerit. Calamitosas mulierculas afflictāq; Pandulfi, qua tot annos educatus esset, domum, faustos olim sibi lares, dulcesq; illius familiae penates intrepidus Cāpanus episcopus Crotoniatū iam creatus, inuisere, solari, praesentiaq; sua, & qua posset ope recreare non expauit. Neq; uir oı̄

uita integerrimus, inuictus, infractus, aliis se cęteris dominis, quàm eis floridis & lætantibus præstitit. Ita Perusiam ingressus ad hæriles ædes prædilectaque olim hospitia rectà contendit. Subito aduentu populus illò aduolat, faciũt certatim ciues munera ciui, quæ ea iam denique respuere pro modestia cœpit. Brachius uetere obseruantia pristinaque cõmotus ueneratione omnem animi feritatem in Campani aduentu exuit, Iam illum salutare, iam alloqui, iã officio cũ illo certare prior gestit, colloquiũ petit, dicitur, quando iam adire intra quos sanguine respersisset parietes pudor prohibebat, in templo & publicis locis dies. Conueniunt tandem Campanus Bracciusque. An quisquam est qui putet illũ increpationibus tẽperasse, animique dolentis acerbitatem quantis maximis potuit in simulationib. & penè conuicio non euomuisse, ut Braccio lachrymas excussisse illũ referant qui interfuere. An Bracci sceleratius quicquam in sanguinẽ patrare tuũ potuisti? An non ad mortem pœnitet sex eius filias parentis nefaria cæde ad prostrationẽ abreptis bonis oĩbus derelictas esse? Non sanguinis, non honoris, non denique deorum immortaliũ rationem habuisse? Vnde ferũt Bracciũ uirum nihilominus probitate insignem, piũ, magnificum, splendidum, quasi agnito errato, ad quod non maleficij consilium, sed simultatum impetus, qui sanctissimos sępe uiros præcipites agit, ꝓpulisset earum curam suscepturum se adiurasse. Inde digressos nõ Braccium populus, sed Campanũ comitari, huic oĩa obsequij & obseruationis signa exhibere. Sine Perusinos, quorum mœnia & parietes, nedum oẽs ciues, toti orbi sua caussa cõmendatos cupiuit semper fore. Sit in silentio rerum de illo memoratu dignissimarũ, quòd ęgrotãti in Fulginatibus, Perusini, Camertes, Assiates, Spoletini publico sumpto cũ pecunia medicos clarissimos destinauere. Cęteros Italię principes operępreciũ est percurrere, quos illa uirtutis gloria, & sempiternis monumentis, officio & charitate semper conatus est obstringere. Erat enim ille unus à natura cõparatus, qui sicut humilem infra se despexit nunquam quempiã, ita magnorum principum beneuolentia & consuetudine delectatus sit, magna semper suspexerit, totusque ad sublimitatem, & sui gloriam omni uita contenderit, Princeps Tareti, cum audijt

oratores suos in petitione præsulis Crotoniatæ reiectos, humilis ultroneis Pij comitijs, omniumque unâ patrum uoluntate Antistitem creatum esse, gratias Pio quòd tantum uirum, eo sic usus uerbo, illi urbi præfecisset, eum summo studio haud multũ distulit agere. Ferdinandus ex Alfonso primo regum qui in Italia unquam fuerint potentissimus, ratus ad gloriam suam spectare, q̃d ex Campania sua tantum literarum lumen obortum esset, quo potuit studio illius domum perpetua immunitate statuit condecorare. Cosma medices cum nullo mortalium magis, quã cum Campano oblectatus est. Quanta familiaritate, quanta licẽntia eo usus sit, indicant ad illum ad penitimam familiaritatem salibus refertæ epistolæ. Illo Petrus, illo Iulianus, illo Laurentius chariorem mortalium neminem habuere. Syro & flexu quodam intimæ beneuolentiæ ad quamlibet rem nunc lenis, nunc acer, cum illis perinde atque fratribus decertauit quâm familiarissime. Illi plus uni huic ad solos nutus, quâm cæteris omnibus uel obtestantibus cõcessere. Sigismundus Malatesta dum ille historiam ad Carolum Braccij filium Venetorum tunc imperatorem deferret, Arimino iter facientem, triduum demoratus, regio apparatu sola hominis fama allectus suscepit, Abscedenti comites per Apennini iuga pecuniamque pro omni itinere addidit. Quamobrem Campanus semper illius authoritatem nomenque in curia defendit, miraque semper beneuolentia inter eos intercessit. Dux Vrbinas functæ uxori Baptistæ Sfortiæ supremos exoluturus honores, huius eloquentiam diuinam omnem funereæ pompæ magnificentiam transcendere ratus, cum Tudertinum præsidatum gereret, neque abesse prouincia sine pontificis permissu liceret, funebrem ipsius uxoris commendationem habere ut posset, summis precibus & ab illo, & à Pontifice impetrauit. Qua tantam gloriam inter eam nobilissimorum totius Italiæ principum & oratorum coronam indeptus est, quanta nunquam interitura erit. Ille ctatus ea oratione tantum est princeps literarum non imperitus, ut inde nunquam rogando destiterit, donec ad gestorum suorum historiam conscribendam perpulit. Et quam diu uita mansit, semper illi opitularem, munificentissimumque se exhibuit.

Petrus Iulianus & Laurentius Medices.

Dux Vrbinas.

Huius

Huius eloquentiam inclitus imperator Italiæ Diuus Franciscus Dux noster gloriosissimus & ipse magnifecit, artisque cupiditate plusquam nimia, hic ut à se res gestas æternitati demandaret cupiuit, Quod & si ipse quoque cum rerum magnitudine ex quibus gloriæ immortalitatem, cuius cupidissimus semper fuit, sperabat, tum principis munificentissimi liberalitate maxime desyderauerit, ut Picinini gesta scribere respuerit, quod huic historiæ nebulas infundere posse scribentis studio uiderentur, nescio qua hominum incuria delituit. Quod si curatum fuisset, dij boni patriæ quanta gloria contigisset. Hæc in Italia, Quæ gens tam remota Campani non audijt nomen, Quis tam abstrusus in toto orbe terrarum locus, ad quem Campani nō penetrarit fama. Verum unam Romam cum recolo, ubi principum domicilium totusque congreditur orbis, quo à patribus in precio habitus sit, quantus quantus sum obstupeo. Nemo tam alienus à disciplinis & literarum studio abhorrens fuit, quanquam omni ætate accuratissimi omnes in illo ordine literarum cultores extitere, qui huius diuinum ingenium non suspexerit, uirtutemque demiratus sit. Ab omnibus ille quidem semper animo propēsissimo re quaque adiutus Præcipuos tamen auxiliatores Senensem Papiensem &(ne Berardum Spoletinum uirum grauissimum doctissimumque, quam Bardulon appellauit, & Petrum sancti Sixti, qui sibi beneficentissimi fuerunt, nunc explicem) Cui charissimus fuit, Magnum Bessarionem, Nicenum Cardinalem græcum habuit. De Senense minus est quod referatur, quando omnis eius uita illius familiæ auspicijs sit deducta, & quicquid nominis, lucis, & famæ consecutus est, ea Picolomineæ genti accepta plane semper habuerit. De Papiense mox, Nunc magni in hunc Bessarionis munificentiam operæprecium fuerit explicare. Vrbs tota festiuitatibus & cantu aliqn̄ exultabat, ut sunt in carnispriuijs debachantium turba laruatorum, plausibus & cantu plena omnia, cantilenæ tota urbe, aures quoquo uico demulcebant, Magni Bessarionis occasionem nactus tectius laudandi, Campanus epigramma hoc condidit.

Bessario totum cui se concessit Apollo,

Et quo nil maius sæcula nostra uident:
Per te priscorum laudes excessimus, ire
In trutinam uictor cum Cicerone potes,
Victa etiam per te magni Demosthenis ora,
Vberior per te Græcia facta tua est.
Pectoris at tanti minimas facundia partes
Obtinet, exiguum splendida uerba putas.
Terra patet, pelagus notum, mens alta deorum
Cognita, scis cœlum, scisque quid astra ferant.
Quicquid te latuit, non est in rebus, ad omnes
Ingenium latebras it, penetratque tuum.
Imperio ac rerum sceptris, & ad omnia natus
Vnus mille geris pectora, mille sapis.
Ipsaque cum tantum fecit natura, uidetur
In uires quanta est incubuisse suas,
Corpore in excelso maiestas cana fatetur
Plus homine, heroum frons tibi Besario est
Et data cum fuerit talis præstantia membris,
Dij animam membris inseruere parem.

Quod cum laruatus Ephebus uocalissimus festo die quodam submodulante lyra incinuisset, tantis perfusus lætitia laudibus il le, lyristę quot erant carmina, aureos tot nummos elargitus, Cam panum mox aduentantem factumq; dissimulantem complexus Campane inquit Cāpane, ubi sunt illi digiti, qui tot de me menda cia scripserunt? auro gemmæ adamanteæ precij septuaginta du catorum annulo donauit. Inde mustelina efferri iussa fultura, quam ex uarijs nostri uocant, dono sibi olim ab rege Polonorū missa cumulati muneris monumentum addit. Quam postea ille domi dum uixit grata memoria semper gestauit. Papiensis uero omnium beneuolentiam, studium, largitatem, munificentiam in illum qui consumatissimus ipse in oī disciplina huius ingeniū penitius deprehensum habebat, semper superauit. Neque semel neque ex rebus quæ sibi aut usui non forent, aut nihil constitissent, ad pōpam & ostentationem, sed oī uita ipso numo, & men-

Bessarionis liberalitas pro carminibus Cāpani.

struis erogatis pecunijs, annuisq; uestibus, & assidua rerum multarum largitione, beneficijs & liberalitate in illum semper beneficus fuit. Nulla cuiquam uis tanta dicendi neq; tantum ingenij flumen, qui amorem, familiaritatem, arctamque consuetudinem illorum possit explicare, Hunc in mensa, hunc in cubiculo, hunc in secessu quocunq; semper comitatus est nedũ introeundi potestatem fecit, quod sibi ad quandã beatitudinem multi deputarent hodie, seu iocos ille texeret, seu seria, adhibere ut alteros se iuuenes Siculos, alteros Herculem & Philoctetem, geminos Tyndaridas, alteros Pyladen & Oresten se esse gloriarentur, & eorum monumentis scriptũ reliquerint. Vnde cõstat Papieñ. patrum se comitijs illius memoriam facturum, nomenq; doctrinam, merite insinuaturum, neq; cõquieturum, donec in amplissimum patrum illũ traduceret ordinem, cuius eum sua uirtus dignum fecisset, adiurasse, Et Campanus ipse se nunquam, neq; tutius, neq; felicioribus auris, quam eo remige plurimis monumentis testatum reliquit inter curiæ tempestates annauigasse. Huius ad oẽm occasionem uirtutes in cœlum tulit. Neq; prope ullum illustrius est in Campano scribendi genus, q̃ cum ad Papieñ. contingit scribere. Quod cum & Papiensis sua inter scripta obseruaret, eousq; illorum excreuit sui celebrãdi mutuum studium, ut suis inuicem monumentis memoriam sui sempiternam gloriarentur apud posteros constituisse. Quod & Campanus his carminibus manifeste cernitur decantasse.

O titulos habiture meos post ultima fata
Quæque super fuerint ossa dature tuos.

Nihil magis Campanum gloria & immortalitate exoptasse cuncta quidem illius scripta ostendunt. Verum inopinatæ ne morti imputandum sit, an illius minimam diligentiam accusem, certe integrũ non habeo, Nam & multi tanq̃ futuræ mortis prę sagi, uiri quidẽ clarissimi, illum sępe ut delectum rerũ à se scriptarum haberet, inq; unũ corpus redigeret multis precibus poposcere. Et ille sępe id curasse, lib. epist. epigrãmatumq; discreuisse rescripsit. Qđ uti effecisset, ego qui edenda curaui, laborẽq; dispar-

tien-

tiendo, locando, dum frustra mille uno non conquæsita ex tota pene Italia loco contexo, persensi, ut fecisse illum quæ sæpe cogitasset spe quadã ingenij, & acritate attestatum esse cognouerim, & id in rebus suis admisisse, à quo cernitur in alienis, ut ante præstaret, quàm pene pollicitus esset, absuisse. In qua re cum prope labore obrutus, illi aliquando mecum succenserem, paululum ab ira & insimulatione abstiti, quando cognoscerem in illum exiguam culpam, omnem in postulatorum procacitatem & improbitatem esse transferendam, qui liberali illius cognito ingenio naturaque, non tam auri, cuius nunquam tenax custos fuit, quàm rerum à se scriptarum prodiga, nihil apud illum quod ad diem cuderet, patiebantur uel momento permanere, & preciosa quæque spe reddendi iniecta, non modo non precibus uiri omnes literatissimi impetrabant, sed intemperanter, & improbe ui quadam extorquebant. Et quod extorquebant nunquam reddebant. Et quod nunquam reddebant, ad suam eruditionem domesticumque ornamentum & ingenij suppetias sui abstrusum reconditumque thesauri loco seruabant, cum alter idem deposceret, ad illos quibus primo dedisset cogeretur eos relegare. Et cum culpam leuet uiri humanitas & clementia, certe relinquitur, ut eorum in quos ipse facilis & benificus fuerit, sæuissima & detestabilis, qui illius scripta occuluerunt, nomine, gloria, fama, immortalitateque illum sua fraudarũt, extiterit perfidia. Quod si ille paulo diligentius scripta omnia obseruasset, non dubito tãtam admirationem posteris reliquisse, quantam nec anteactæ ætates, nec quæ subsequentur coniunctæ ampliorem afferre mortali homini potuissent. Nam quæ lepidiora fuere, sonantiora, maiore spiritu concinnata, auaras nacta manus diem suum uidentur obijsse, & nulla dies est qua semper prẽclarum aliquid & illustre ad manus meas non contingat peruenire. Neminem alloquor qui modo uel minimam eius ætatis notitiam habeat, illius qui mihi scripta non aliqua gestiat recitare. Nullus tam ferus & agrestis, nullus tam alienigena & externis natus in oris, ad cuius notitiam nõ audiam illius nomen famamque peruenisse. Nuper cum Vmbriã peragrarem, idem forte quod ego iter facientem Turcum offen

di

di. Is cũ me latinis uerbis salutasset, credidi primo congressu uernaculum sermonem nostrum eum non tenere, atque ita latinis parum quidem, ut subitis, pariter respondi. Vbi admodum me literas non callere deprehensum habuit, sed nec tamẽ prorsus ignorare, audentior factus, cœpit se ad conferendum cõponere. Mox percontanti illi quinam docti hac tempestate in urbe memorarentur, complures ego numeraui. At inquit ille, nostra adhuc sæcula uobis in lucem unum Campanum non reuexere. Ad nomen ego Campani obstupescens, quomodo eius ipse notitiam haberet, cœpi studiosius perquirere. Ille inter Turcas diui Pij gloriã cũ in rebus omnibus, tum præsertim in disciplinarum scientia, & cultu diuino, christianoque gubernando imperio, & bella, & illatum Asiæ terrorem cum pluribus memorasset, hunc quoque uirum inquit, in hac præcelsa imperij Christiani urbe Roma apud illum in literis maximum fama prædicabat oratorem facundissimum, in eloquentia supremum, Cuius uidendi cupidus cum per iuuentutem Italiam peragrarem, Romam quoq; appuli, ubi mox in uestram fidem receptus, scripta illius complura coẽgi, quæ postea uita chariora semper mihi seruaui. Plæraq; etiam memoriæ mandaui. Atque ita memoriter cum multa retulisset, illud ego Tetrastichon. Anser Tarpeij. quod ante non audieram memoria inter equitandum excepi. Vt mihi Campanus Homero prope similis factus uideatur, cuius Iliada ac cætera poëmata authores sunt uiri illustres illum nunquam in scriptis redigi fecisse. Verum dum passim ea decantat, excepta in uolumen ad nos peruenere. Nam nisi ineptũ satis arbitrarer quæ ad me sic peruenerunt, prope infinita possem recensere. Fuit illius, sicut omnes iam ferre sententiam poterunt, scribendi genus facillimum quidem, sed sonorum dictis, & sententiarum grauitate illustre imprimis, confertum & memorabile, ac quoquo philosopho dignissimum, ut ad illius scripta perdiscenda omnes sententiosis dictis traherentur & ornatu. E quibus pauca tanquam illi familiaria magis, atque usurpatiora & unde, quod maxime cuditur, illius uitæ ratio posit nobis constare, prosa ac deinde uersu excerpta subieci, quæ putaui ad lectorũ omnium institutionem maxime tanquam philosophiç cardines confer

re. In qua re illud primum libet afferre, quoniam mediocrem palam dicebat se amicum nũquam habuisse. Nam fuit in uiro tanta integritas, ut in fronte, quod aiunt, unum, aliud in corde nouerit nunquam gestare. Quod facile indicatur, nam si illius commendatitiæ legantur epistolæ, neminem unquam commendauit, quem non ita commendauit, ut cogeret amicos rogata facere. Sententiosa dicta eiusmodi sunt cætera. Virtutem nisi agnitis uicijs consequi poterit nemo. Studiosi ut nulla sibi temporis iactura excat, sic nullam eius indigentiam atque inopiam patiuntur. Ingratum si sua proteruitas absoluat, conscientia tamen seuerissima æqui atq; iniqui iudicatrix arcana rerum confessione torquet & damnat. Optima rerum omnium excogitandarum necessitas magistra. Nemo tam ferus & agrestis, tamque ab omni humanitate destitutus, qui si modo peccare se intelligat, non aliquando ipse sibi displiceat, & ad sanctiores mores, melioraque studia sese non permutet. Nulla arctior amicicia, coniunctiorque necessitas, quàm quæ mutuis officijs, & alterna beneficiorum largitione continetur. Turpius principi in beneficio gratia & liberalitate quàm in prælio superari, quia in alterius animi nequicia comprehenditur, fortuna in altero potest accusari. Cogat te necessitas ipsa puniendi, non excruciandi libido impellat. Vbi uis dominatur, uana est etiam si iusta quærela. Strennui militis non est plus de aliena multitudine, quàm de sua uirtute cogitare. Prodesse interdum inimico pulcherrimum est, amicum ad omnia iuuare necessarium. Neque enim facile noua atque incerta amicicia constare potest, ubi uetus deseritur & probata. Sæpe enim aduersa fortuna supprimit mortalium animos, tollitque secunda. Miseros qui noua parere nesciunt, miserrimos qui parta tueri non possunt. Quisquis hostem metuit, irritat, & ad prædam inuitat magis quàm fugit. Nunquam sero occidit, qui sine posteritatis spe occidit. Eloquentiam ut cætera nonnihil auget fortuna, ornat dignitas, illustrat imperium. Præcipua est nobilitas, quæ propria ornata uirtute & sua cum maiorum sit splendore, dignitate, gloria uetustate coniuncta. Difficillimum cum summa fortuna morum integri-

gritatem esse coniunctam. Vt igni depuratur aurum, sic animus noster ipsa morte ab omni rubiginis contagione secernitur. Alienis laudibus niti nihil aliud est quàm suas proferre non posse. Nihil homini gloriosius esse potest, quàm qui humiles abiectiq; sint, subleuare atque ornare, eosque non adulatione fortunæ, sed proprio beneficio suos fecere. Nihil laudatur incertius, quàm quod nimis. Nulla uita inquinatior, quàm religiosi hominis intemperanter libidinoseque uiuentis. Cauendum nobis quid quenque doceamus. Vinci bello fortunæ est, amore autem inhumanitatis. Triplici laborat febri, qui & iacet & ducit uxorem. Plerique amicorum calescunt præsentia, absentia frigent. Qui amicicia uinciuntur, iam tunc incipiunt non suis solum laboribus angi, cum uinciuntur. Vix magna cupiunt, qui parua desperant. Habet hoc amicicia, ut grauiora sint, quæ putamus minima, si prætereantur. Satis est, præmij, ubi laborem gloria, laus industriam comitatur. Non est uirtus in campo decurrere. Sed in lubrico non posse auelli. Virtus sola semper est sua fama maior, gaudetque spectaculo. Scelera & uicia conspectum reformidant, quæruntque latibula. Rusticationem urbanis negocijs immisceri iucundum, anteponi indecorum. Quicquid agimus in uita in lance sumus uulgi, semper diuersa, aut potius peruersa sentientis, Nullius hominis tam rectè potest ratio constare in uita, ut calumniam fugiat post mortem. Nihil aliud amicus quàm gloriosa molestia, ut plures qui habeat, hoc sæpius doleat. Hunc qui uiuimus, ludum ludimus, ut aut lugeamus nostros, aut quod æque miserum, lugeamur. Ociosa amicicia nisi exerceatur, exerceri autem nisi mutuis beneficijs non potest. Stulti fortunati durum imperium est. Diuiti nũquam magis dat pauper, quàm cum nihil dat. Cõtrà diues nunq̃ recte benefacit nisi cum pauperi, Amare & fouere, propinquos mortui amici, non tam præstare beneficium est, quàm reddere, Contemnere pericula nunquam bonum est, nisi cum necessarium Fidem nihil magis probat, quàm obsequij diuturnitas, Dignis qui utitur, nil indignum

facit. Parcendum mortuis, quibus qui male dicit, facile ostendit non audere se certare cum repugnantibus. Dissimulatio omnis aut simulatio fomes est fraudis. Multa cupimus in uita, quæ aut præstare temporibus prohibemur, aut consilio differimus, aut casibus intercipimur. Nullum est præmium certius & maius, q̄ gloria præsentibus, memoria posteris. Natura cuique dux atque imperator est sua. Calamitas etiam quæ minima, maxima est, quę adiutorem non nanciscitur. Multum detrahit principi, qui de illius clementia & pietate desperat. Officiosa diligentia nihil antiquius. Plurimum refert, unde beneficium accipias. Non placet fortuna, nisi quæ cum uirtute coniuncta.

O quantum est animi uincere consilio,
Verus amor, syncera fides, non fictus amicus,
Per nullas fiunt languidiora moras.
Effuge quo libitum est, euadere fata nequibis,
Consilium uertit sors, stabilitque tuum.
Quod subito exoritur, fluctuat ut subitum.
Aetates abeunt, labuntur regna, sed unus
Durat & in precio est, post eritatis honor.
Cœpta uirum fortem deseruisse pudet.
Viuere qui nolit desidiosus, amet.
Exoptata odium, gratia stulta parit.
Miserrimus ille est
Qui quod habent omnes, solus habere nequit.
Virtutem exacuunt, & pœnæ, & præmia iure.
Pœna malis danda est, præmia danda bonis.
Tempus & anni
Fomentum nullis artibus accipiunt,
Munera cum gemmis, ipsi labuntur & anni,
Ad finemq; ruunt quælibet orta suum.
Temporibus fragiles, & longo carpimur æuo,
Paulatimque cito radimur axe poli.
Non durare potest, si quid tibi crimine partum,
Euolat, & diues fraude iacebis inops.
Nil durum in pulchra nobilitate cadit.

Cui

Cui modicum satis est, hic ope dignus erit.

Sic literis & doctrina, sic dictis & sententiarum grauitate, sic offi cio & affabilitate, sic liberalitate & beneficentia, consilio, & autho ritate, moribus omnibus geniali ueneratione & gratia cæteris ani mantibus præstitit, Campanus ut plane omnibus perspectum sit illum omnibus numeris absolutissimum nobis à natura ad miracu lum ætatum omnium proditũ fuisse. Ipsum per se profecisse mul tum, Fortunam uero, quæ cætera præclara ingenia deprimit, tol litque obscura, non minimum aduersatam esse. Abstulisse mor tem cum illo mirabile naturæ opus & ornamentum, Ipsum uero sui memoria diuinis uirtutibus suis unà præsertim eloquentia & uitę integritate desyderium sempiternum reliquisse. Vos qui hu ius aut uitam, aut carpitis monumenta, & si scio id uos conaturos quæ uestra est uanitas, ut soli uideamini sapere, precor immorta lem deum, liceat eius uel minimam partem uirtutum, eruditionis & eloquentiæ attingere.

FINIS,

Ad Lectorem in Vitam.

PARCE precor maledictis lector, libet paucis te compellare? Scio iam quid accuses Panegyrim me celebrare, non uitam con dere, hoc reliquos uitarum scriptores non tanquàm alienum ab instituto refugisse. Censen me Campani uitã uiri tanti sine lau dũ intersultatione perscribere potuisse? Quid Tranquillus. Quid Iulius Capitolinus. Quid Lampridius. Quid Helius Spartianus. Quid Plutarchus. Quid Erodianus. Quid postremus noster ob seruarit? Platina haud ita nos fugit. Quorum & si non omnis for tasse à nobis prorsus abhorruit. Ego certe aut genus hoc scriben di nouũ nũc nuper attuli, aut effeci, ut qui inter cæteros Cãpanus esset, stilo quoque absimili celebratus ad posteros posset pertransi re. Tu ut uoles pro arbitratu percense, Nam tibi suffragium sup posceens pallium trahit nemo, Id tamen sedulo si introspexeris, fas surum te non dubito, nihil me præter ueritatem omni hac lucu bratione attulisse, Ac uereor magis, imo nihil addibito, multa de

disse silentio, plura etiam minus quàm res exigeret ipsa decore re tulisse, non desines increpare, In altero quoniam nec interfui cũ uixit, nec omnes unius hominis uitam, gesta, dicta, facta singula potuere pernoscere, minus iudicabor peccati admisisse, Alterum autem ingenij tenuitas facilè poterit excusare. Ego nũquam tam abalienati animi, nec à recto mei iudicio absens fui, ut quod plerique omnes uel modice literatuli de se sentiunt, ipse luculenter aliquid sperem edidisse. Et plane nulli dubium rebus omnibus orationis splendorem dignitatis plurimum atque maiestatis addere, & sępe incondita gesta scriptoris claritate uenustatem & gratiam acquirere, ut mihi uidear circumsonantes Campani manes deme quærentes semper audire, quòd temerariæ illius peractæ gloriã uitæ ausus fuerim stilo tam rudi impudenter attaminare. Vestra hæc uiri erudici fuerat prouincia, Verum date ueniam si præreptа. Nam quam uos de uestris bene meriti Campani studijs memoriam negligere uidebamini, eam ego non sum passus utcunq; fas fuit, in illius iniuriam & uestram notam diutius contabescere.

Contra detractores ad Campani gloriam.

Malæ quot linguæ lacerabunt labores
Tuæ Campane, uitæ gloriam nostros
Continentes, quibus magis sapit nihil
Quàm aliorum rodere scripta, qui nunquam
Aliquid ipsi protulere, in quo ualeant
Sua errata recognoscere, sed caue
Tu quoque nefarijs, quem non abstinebunt
Ausibus impetere, sicut perfidia est
Eorum, ut soli uideantur adhibere
Ad omnia nasum, ueteres, non quoque nostri
Absq; calumnia, sed illa suprema
Blatterantium facere flocci gloria
Ineptias uirum, præclarus triumphus
Ex fero semper ille qui patitur hoste.
Meo uiue munere, Campane uiue,
I uagus populos uagus per urbesque
Redite ad Heliconios latices deæ,

Simul

Simul quæ cecideratis simul erectæ
Bonis plaudite literatis Camœnæ,
Apollo ducet choros iterum uestros,
Caballi, uatum, celebretur decusq́
Inter orandi patrum graues coronas
Et omnis orbis repetitos honores
Audiat, ac in excelso refulgeat,
In titulos nostros sublimis gloria cælo.

EPITAPHIVM.

Campanus iacet hic humili contectus in urna,
Qui uaga dum uixit sydera transilijt.
Historicus scripsit, dixit cecinitq́, nec alter
Philosophus toto clarior in Latio.
Nil maius natura tulit, miracula cœli,
Huius in ingenio cuncta stetere uiri.
Deserto lugent Parnasi fonte sorores,
Et tumulus refugas lucis hic unus habet.
Vos quibus ingenium est, en quo contendimus omnes,
Virtutis sola est gloria quæ superest.

CO=

CODRI VITA A BARTHOLOMEO BONONIENSE CONDITA, AD MIMVM Rescium, Senatorem Bononiensem.



AIORES Antonij Vrcei, qui postea Codri cognomen assumpsit, ex Vrceis oriũdi sunt oppidulo Brixianorum, familia uetere quidem, sed obscura. Nam proauus eius Antonius, qui primus Herberiam commigrauit, pauper admodum erat, patre figulo natus, obq; eius rei familiaris angustias, uix diurno quęstu propulsabat famem. Ex hoc Bartholomeus nascitur qui & ipse pauper piscando uitam aliquandiu tolerauit, mox dũ foderet agrum, casu in fictili quadam urna satis magnam uim argenti inuenit, ex cuius dimidia parte tantum agri emisse tradũt, ut eius soli prouentus abundantem familæ alimoniam præberet. Ex reliqua uero pecunia, quæ homini supererat, aromatoriam instruxit tabernam. Is deinde Corthesium Codri patrem creat, de cuius præstanti uita, & moribus, pauca quidem mihi dicenda essent, nisi modum propositi operis excederem. Cæterum præclari parentis mores me satis abundè dicturum esse arbitor, si filij laudes in medium proferam, de quibus pręsente ac secundo Deo dicere ordiar. Natus est Codrus Herberiæ oppidulo in agro Regiensi, quæ à Mutina abest circiter septem millia passuum. Anno salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, decimo sexto. Kal. Septembris paulo ante solis ortum. Patrem habuit Corthesium nomine, Matrem Gerardinam, Quę fratrẽ Codri Petrum Antoniũ enixa, nimia oppressa dolore, uita excessit. Pater uero, ad lõgissimum humanæ uitæ terminum prouectus (alterum enim & octogesimum annum expleuerat) incolumis, ac sine morbo, naturæ concessit. Prima ætatis tempora Herberię egit, atque ibidem cum primum discendi per ætatem capax fuit, pater ipsum præceptoribus erudiendum dedit. Deinde ab teneris adhuc

huc annis relicto patrio solo, ad Tribachum se contulisse nonnulli affirmant, hominem ea tempestate satis disertum. Qui cum studijs ardentius puerum incumbere animaduerteret, grauissimis ad hortationibus rem literariam capessere suadebat, illud Maronianum identidem commemorans. Macte noua uirtute puer, sic itur ad astra. Paucos ibi menses moratus, à Mutina Herberiam, & idem paulo post paterno iussu (nam parentibus iam bona spes de filio erat) Ferrariam transijt, ubi Babtistam Guazerinum audiuit uirum ætate nostra literis græcis, pariter & latinis celeberrimum. Sub quo iuuenculus adhuc plusquam promitterent anni, tantum profecit, ut appareret omnibus spem haud uanam parentes de illo concepisse. Lucam quoque Ripam modestissimum uirum, & clarissimum dicendi magistrum, per id tempus diligentissime audiuit, seque apud illum exercuit, & ita exercuit, ut condiscipulis omnibus post terga relictis, ad fastigium euaderet. Sunt qui dicant, Ferrariæ primum erudire pueros cœpisse, cum uix duo de uiginti ageret annos. Sed hoc quia mihi parum compertum est, nec affirmare, nec etiam refellere in animo est. Satis constat Ferrariæ ipsum desedisse annos quinque, ut eius monumenta declarant. Hinc tris & uiginti annos natus, autore eodem, quem supra memorauimus, Luca Ripa, Forumliuij concessit, ubi magnis premijs inuitatus tredecim fere annis, sed aliquo omnino tẽpore interiecto, publicè erudiuit pueros. Priuatim tum etiam Sinibaldũ principis Foroliuiensium Pini filium studiorum initia edocuit, dignũ tanta cura infantem. Hunc quandiu erudiuit, cubiculum in ædibus principalibus habuit, alimentaq; honestissima. Pino uita functo, cum tota ciuitas uarijs rumoribus impleretur, per decem fere menses Foroliuij sese inuitus cõtinuit, diu in incerto habens, qd nam consilij caperet. Mox Bononiam concessit, patriam dicens ibi esse bonam, ubicunque uir literatus sedem elegerit. Atque ibidem de cætero fuit, quoad è uita decessit. Hæc summatim de eius uita retulisse sat esto, nunc singula latius exequi pergam, Corpore uero & statura fuit mediocri, uultu pallore ac macie obducto & qui plerumque natura mirabundo similis uideretur, albicantibus oculis, & paulo sub fronte repostis. Accedebat ad hæc eminẽ

Tribach.

Lucas Ripa.

Statura ac forma Codri.

tia nasi, capilli raritas. Gracile adeo corpus ob stomachi debilitatem, ut cum quidam ei per iocum, me audiente, corporis tenuitatem obijceret, in hunc fere modum responderit: Quid mihi uituperationis loco obijcis deformitatem corporis, cum non mihi tantum, sed ipsi etiam rerum omnium fabricatori Deo propemodum hæc pariter obijcias? ea namque omnia quæ Deus ille in nos contulit, non ad hominis, sed ad suum ipsius arbitrium collata sunt, quæ si ex nostro penderent uoto, nihil utique esset (modo mentis compotes nos idem ille Deus fecisset) quod in nobis desyderaremus. Vultu quidẽ, aspectu motuq; corporis, mitis admodũ erat, sed quoties aliquo animum inflecteret, adeo obstinato erat animo, ut nemini unquam, mea sane memoria, tam durum, tanq; inexorabile uiderim ingenium. Huius uero effigiem oris uultusq; & liniamenta corporis mire expressit in ædibus Bentiuolorum, amor ac deliciæ nostræ Francia spectatæ uirtutis aurifex, cuius uni cum ingenij fastigium pariter omnes, & amant, & admirantur & tanquam numen adorant, tum ob alia, tum in primis, & quia summus nostro æuo est artifex, & tanquam artis huiusce Deus, & in pictura nemini posthabendus. Nullius etenim ante ipsum neq; pictura, neq; cælatura in propatulo uisitur, quæ teneat oculos. Longissimis te utiq; laudibus Francia extollerem, nisi quibusdam uiderer, nimio amore, incidisse in profundissimam quandã adulationis speciẽ. Sed me longius amor, ac dulcedo uiri abduxit, ad propositum reuertor. Circa uictum uestitumq; ipse paruo contentus, tenui uictu, cultuq; delectabatur, cuius tenuissima uitæ frugalitas usque ad uitium nimia ut plurimum erat. Valetudine autem uaria usus est, à prima iuuenta, usque ad quartum & quadragesimum ætatis annum, sicuti ipsemet prædicare solebat. Nam plerũque & stomacho, & totius corporis lassitudine quadam adeo laborabat, ut ab ortu solis, ad occasum in lectulo moribundo similis perstaret, magna cum admiratione omnium; eoque ipso tempore (quod mirum est) nullam edebat uocem, qua semet miseraretur, sed ut primum aduesperabat, incedebat quacũq; recuperata membrorũ firmitate. Totũ uitæ cursum erudiendis iuuenibus impenderat. Cuius ego in docendo dexteritatem summopere laudo.

Codri inexorabile ingenium.

do, hunc̄ laudo, ut qui primū à parente initiandus, & erudiendus ei datus fuerim, utinam in proposito pater perseuerasset, heu quę te genitor sententia uertit? nimiū inq̄ fraudasti ingeniū meum, ad literas satis accommodatū, Sed quærimoniæ in aliū hominem in alia tpa differātur. Ad destinatū opus redeo. Vt igitur multa alia omittā, quo ad studia discendi acriores subderet faces, pueros ueluti in classes distribuebat. Concurrebant in uicem, totis ingenijs uiribus. Vndiq̄ reconditorum uocabulorū tela ingruebant. Qui potior dicendi uiribus erat, summo condiscipulorum applausu, pro cornibus excipiebatur. Demum haud in ullo unquam erga discipulos officio solertissimum uidi claudicare doctorē. Nonnūq̄ tñ per animi impatientiam discipulos ultra modū castigabat. De cuius in discipulos ira multa quidē, sicuti ego accepi ab eius fratre in medium adducere possem, nisi eadem illa risum potius excitarent legentibus, quàm admirationem. Sed de ira in pueros hactenus. Quoniam autem ad hoc uentum est, haud ab re erit hoc unum de eius præcipiti in iram ingenio exempli gratia ponere, q̄q̄ quam fortasse longissimum, ut potero tamen quàm breuissime expediam. Cū adhuc esset Foroliuij cubiculum habebat in penitiore palatij parte, uarijs quidem ornatum picturis, sed adeo in prima diei parte obscurum, ut nisi lucernæ beneficio, ne parietes quidē ipsos discernere posset. Vtebatur itaque quotiens studere uellet lucerna quadam fictili, raræ (ut fertur) pulchritudinis, exactissimique artificij. In cuius summitate litteris paulo grādioribus hoc cælatum erat. Studia lucernam olentia, optime olere. Hanc igitur forté cum domi inextinctam reliquisset, incendij causam fuisse creditum est, Nam matutino tempore cum negocij causa se in forū contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per oēs cubiculi angulos diuagatus est. Perijt liber ab eo compositus, qui inscribebatur Pastor. Periere & reliqua eius bona. Fumabant igitur cubiculi fores, Fenestrę flammam incendij euomebant, priusq̄ ignis passim effusus conspiceretur. Fama est ad primum incendij nuncium tantam animo imbibisse iram, ut exclamans, ueluti furore quodam concitus, ad regiam usque præcipiti gradu ire pergeret, pro foribusq̄ cubiculi astans (neq̄ enim ob incendium latè cuncta

Modus docendi Codro peculiaris.

Codrus ingenio iracundo.

Codri lucerna.

depopulans ingredi licebat) Quodnam ego inquit tantum scelus concepi Christe, quem ego tuorum unquam læsi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris? conuersus postmodum ad simulachrum Virginis. Audi uirgo ait, ea quæ tibi mentis compos, & ex animo dicam. Si forte cum ad ultimum uitæ finem peruenero supplex accedam ad te opem oratum, ne me audias, neue inter tuos accipias oro, cum infernis dijs in æternum uitam agere decreui Qui aderant uerbis quidem quod poterant ipsius iram lenire conabantur. Sed clausæ erāt aures, obstrepente ira, Quę adeo oppressit hominem ut obiurgatis prius amicis omnibus ne se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposuerit frenos amenti gradui, quàm in uastum sese præripuerit nemus, ingentique cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu urbem petens, cum portas offendisset clausas, in fimi aceruo prostratus lucem expectauit. Mane uero urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo, abstrusit sese, ibiq; iugiter per sex menses, solus, ac sine libris, uitam protraxit, Sed hæc iam omittamus. Immortalia animi sui monumenta, quæ posteris reliquit, persequamur, quibus manum ultimam tametsi haudquaquam imponere potuit, magna tamen ex parte præ se ferunt, quanta dicendi facultate, quanto ingenio, quantaq; demum ualuerit doctrina. In fingēdis, pangendisq; primum carminibus, tam græce quàm latine admodum deditus erat Quo in genere permultæ extant eius Elegiæ, Epigrammata, Syluæ. Quarum omnium ingenij acumen, & sententiæ, quanti faciendæ sint, uidebunt qui ea legerint. Vocabulario græco plura de suo addidit, multa emendauit. Nonnulla etenim num, quæ in ruinis latinæ linguæ delituerant, pertinaci studio, atque ingenij bonitate in lucem eruit, Epistolas scripsit ad amicos, funebres nuptialesque orationes. Inter maxime præstabilia huius uiri opera complures splendidæ, atque illustres extant orationes, siue ut ipse appellitare consueuerat, sermones, quos tanquam mensam, iucundis, numerosisq; dapibus exornauit. Emendati sunt, dilucidi, ornati, & qui altissimam eruditionem, ac scientiam præ se ferāt. Nihil iucundius auribus meis unq; accidit hisce sermonibus Codri, qui adeo sunt puri, ut loqui latine penè solus uide

uideatur. Hi uero ferme sermones omnes toti redundant lepore, facecijs, ac hilaritate quadam, & ioco, atque ita, ut haud grauitas facetijs minuatur, quo quidem in genere, præter cæteros, Codrus noster excellit. Interrogatus à quodam cur in omni sermone tam crebris uteretur facetijs: naturam eo finxisse homines respondebat, ut salsi essent, urbani, & narratores faceti. Timide ad dicendum accedebat, conscientia suæ infirmitatis, Nam quia parum memoria ualebat, orationes suas plærumque ex scripto recitare cõsuerat, incredibili quidem pronunciationis fastigio, sed quæ omnino audientibus esset pergrata. Multa ioco se dixit, quæ postmodum suis in orationibus non inseruit. In alienis scriptis pensitandis utebatur summa, uel in rebus minimis curiositate. Adeo ut præceptor meus Philippus Beroaldus litterarum princeps & decus ingenuè professus sit, neminem illo unquam neque acrius, neque acutius se uidisse aliena iudicantem. Irridebat eorum uanitatem, qui tantum in primo litterarum limine constituti, sese ad arduum iudicandi genus accingerent, Nesciunt aiebant quàm graue sit onus iudicandi, oportet enim ipsi succumbere oneri, hoc minus magno, ac præpotenti in literis uiro contigerit. Porro nullum maius uitium in tanto notauerim uiro, quàm illud, quòd raro quempiam sui sæculi laudaret, quanquam omni ex parte consummatissimum eminentissimumque. Percontantibus quid de hoc, uel de illo, summis nostro æuo me hercule uiris sentiret, omnibus hac una fere uoce respondebat. Sibi scire uidentur. Quod si in hoc non errasset, ut supra fidem errauit, unus pene post hominum memoriam uere & iure laudandus esset. Verum nõ omnia (ut noster ille apud literarum parentem Homerum inquit) data sunt hominibus simul. Sed quoniam in Homeri cælestis ingenij uatis mentionem incidimus, non alienum erit subtexere, quantopere delectatus sit in legendis diuini huius poetæ libris. Roganti cuidam quo se conferret, ad Amasium respõdit, significans se Homeri poësim, qua plurimum delectabatur, uelle tum legere, huiusce etenim ingenij felicitatem usque in tantum laudabat ut iure iurando affirmaret, eum non hominem, sed ex dijs unum fuisse, qui olim uixerit inter homines, donec illa diuino scriberet carmine.

Beroaldi de Codro iudicium.

Codri inuidia.

Dicere etiam solebat immutabili æternitate perpetuum fore Homerum, Deosq; ipsos potius perituros esse, q̃ Homeri poëmata. Moritur uero Codrus Bononiæ in cœnobio diui Saluatoris, quo se cum Asichmate inexplicabili affectus decubuisset, exportari uoluit. Ibique sepultus est, annum agens circiter quartũ & quinquagesimum, quem, quia ex sexto nouenario conficitur, scansilem uocant annum, mala generi mortalium minitantem. Cadauer eius populari sandapila per discipulos benignè operam pollicentes elatum est, comitante toto scholasticorum cætu. In eius autem sepulchro, ut ipse mandauerat, cum extremis suis consuleret me hoc curante insculptum est. Codrus eram. à plerisque quidem epitaphia in Codrum graphice & eleganter scripta fuere, sed præcipuè ab duobus clarissimis uiris, Hermico Caiado poëta Lusitano, & Philippo Beroaldo iuniore, quos ego uiros ob eorum beatissimam ingenij magnitudinem ualde & amo, & exosculor, dumque uiuam amabo. quàm uero suis omnibus carus fuerit, mœrore funeris iudicatum est. Huius namque uiri mortem, bona quidem discipulorum pars lachrymis prosecuta est, sed fratris Petri Antonij uerba quæ supra defuncti corpus habuit, astantium ora in lachrymas soluerunt. Multa etenim primum quæstus est de humana rerum conditione. Deinde supra modum, cum animus eius doloris æstu conflictaretur. Deum lachrymabundus precabatur, ut longiorem sibi uitam eriperet. Hinc itaq; discipulorum effusi gemitus, hinc fraternæ lachrymę, miserabiles facies, Quę omnia, quoties mihi in mentem ueniunt, uix lachrymas (ut est fragilitas humana) cōtinere possum. Illud quoq; præsagij loco notatum est, quod in uulgari sermone quodam habito apud discipulos suos, pridie antequam animam efflaret, cuius sermonis me participem factum esse gaudeo, quàm ego pro ingenij uiribus litteris mandabo. Discipuli enim decurrentibus per ora lachrymis. Codrum diumultumque, omni precationum ambitu supplicabant, ut priusquam moreretur aliquid eis mandaret, quod se dignum foret. Quanquam durus ille, & inexorabilis, demisso in terrã uultu pertinax silentium retineret, illi tamen genibus flexis, summissaque uoce, hortari, monere, per Christi mortem precari, nunc u

Obitus Codri.

nus

mus,nunc plures,non abstiterunt, antequam obstinatum uiri silentium fregerunt. Horum itaque precibus uictus, defatigatusque, in hunc ferme admonitorium sermonem erupit. Vicistis me inquit discipuli. Nihil aliud, postquam ita cordi uobis est, mando, nisi ut Deum in primis colatis, uitam perficiendo bonam usque ad senectutis limen. Quod si feceritis, inuenietis profecto uerissimum illud esse Furij Camilli dictatoris, qui cum populum Romanũ pro concione alloqueretur, longo uerborũ meatu ostẽdit, oĩa prospere aduenisse diuina sequentibus numina, aduersa spernentibus. Mementote etiam num diebus singulis, mortales uos esse, hanc humanam uitam nihil omnino esse arbitrantes. Quòd autem nullius momenti hęc misera sit uita, documento ipse sum. Animam uero immortalem esse censeatis. Propterea mala si feceritis, non lætamini, sed dolete, ne post corporis solutionem animæ uestræ æternis supplicibus crucientur. Deus enim è coelo terrena despectans, modo in uita, sæpius post mortem nocentes punire solet. Nimiũ corporis cultum, quia id fragile, mortale, & mille casibus obnoxium natura parens fecerit, nimias tũ etiam diuitias, genus, formam, uires, cætera, quæ fortuna dat, despicite, quandoquidem hęc animũ humanum insatiabilem reddunt. Non inscitè illud à plerisq; diuinarum rerum scriptoribus, ad cohibendam hanc habendi libidinem dictum uidetur, qui omnes uno ferme ore clamant. Quo plura habebitis mortales, acrius quæ non habebitis, cupietis. Præterea ut ipsi legendo inuenietis, multa dicta sunt ab ijsdem illis scriptoribus de contemnendis rebus humanis, animæ uero curam quæ insensibilis est, uiuitque, apertis (ut aiunt) brachijs amplexamini. Nam si eius curam suscipietis & circa propria eius bona uersabimini, ueri eritis homines, quia anima homo est, corpus uero (ut sapientiæ studiosi diffiniunt) homini, est animæ uas & instrumentum. Qui corpori, & animæ inseruit, necesse est, ut alterum curet, alterum negligat, & hæc ad coelestem uiuendi normam satis sint. Quod uero ad studia attinet uestra, filij uerbis attendite meis diligenter, ac illa penitissimo corde tenetote. Præcepta enim quæ ego sæpissime apud nos

Codri morituri ad discipulos sermo.

habu-

habui, si in præsentia referre uellem, breuissimum temporis curri culū me prohiberet. Sexcentæ nāq; ad eam rem partes possent colligi. In uniuersum, ne nudi oīno abeatis, hoc uobis pro autori tate, qua doctor apud discipulos pollere debet, præcipio, ne quid unquam putetis scire, quod nesciatis. Nihil est enim mihi credite quod æque fugere debeat is, qui ad summa peruenire cupit, ac ua nam, & arrogantem de se persuasionem. Falluntur namq;, dum fallere noluit, nec unquam erubescatis ea addiscere, quæ ignora tis. Mea semper discipuli hæc una fuit sententia, nullā rem esse tā fœdam, quam non turpissimū esset ignorare, Accingēdum est præterea ad eam, quam sępissime dixi uobis assiduitatem dicendi exercitationemque, sine qua nihil magna laude dignū consequi possumus. Multa mihi quidem super hoc dicenda essent, sed hæc summa est, ut in primis sit uobis amor, curaque uirtutis, quam nul lis machinis, nulla uentorum ui, subuerti posse cognoscetis, si ani mis uestris memorabile illud, ac immortale Stilponis dictum re uocabitis, qui cæteris bona fortunæ asportantibus, rogatus à De metrio, an aliquid suarum rerum sibi quisquam militum eripuis set, cui Stilpon haud equidem inquit, neminem enim se uidisse sci entiam auferentem asseuerabat. Idem ferme de Biante scriptū in uenietis, Qui capta patria, cum admonitus esset à quodam, ut bo na secum & ipse asportaret, se id facere affirmabat, omnia sua di cens portare secum. O præclarum responsum; & docto homine dignū, existimabat & enim uir ille sapientissimus nihil suum esse, quod eripi, quod amitti posset, sed potius ea esse fortunæ ludibria quæ nos bona uocamus, qua propter nil homini magis expeten dum esse uidetis, quàm ut uitam suam optimarum artium studijs excolat. Hæc ad splendorem, hæc ad decus, hæc ad gloriam nos perducit æternam. Non pluribus uerbis opus est differere, quàm bene, & q̃ fideliter ego uos cæterosque omnes condiscipulos meos, semper & ubiq; edocuerim. Si doctrinam meam uero pe ctore admirari soletis, quę utinam digna esset opinione uestra, ite non tam pedibus, quàm mente meam in sententiam, & orate de um ut mei similes esse possitis. Si ego de me apud uos glorior, iu re glorior, nam uos meę huius glorię futuri estis hęredes. Ego die

Stilpon.

crasti

utar opera. Id honoris Dei immortalis causa libenter agite. Superest (quod à Deo immortali impetratum uelim) ut uos perpetua felicitate fruamini. Ego quidem cæteris lætus, sed hoc uno torqueor, quòd immatura morte præuentus, meritas uobis grates, pro tantis in me beneficijs persoluere non potero. Vltimum admonitorij sermonis fuit, se pluribus uerbis illos, quàm uoluisset fatigasse, esse reliquum, ut si quid erroris uel uoce, uel facto, erga illos per imprudentiam admisisset, ueniam fragilitati humanæ darent. Cum finem dicendi fecisset, discipulos magna pietate atque lachrymis amplectendo dimisit. Ad hæc illi nihil respondẽtes, sed lachrymantes abiere. Vnus tamen dolorem uix tristi animo premens aliquandiu perstitit, hunc ergo cũ uidisset sublachrymantem blanda manu prehendit, Vultus tuus fili mi dicens, nescio quod ingens malum præsefert, Non lachrymis opus est, quæ nullo usui sunt, ineuitabile enim est fatum. Cum diem obiret, ne & hoc silentio inuoluam, breuem orationem habuit, in qua disseruit mortem esse summum bonum. Quæstus est etiam sæpius, quod antequam moreretur ea literis mandare non potuerit, quę animo destinauerat. Cum quisque de rebus futuris ignarus sit, nõ expectes incerti eueutus aleam. Verba ipsius sunt, si ego inquit moriar, nam prope in eluctabilem legem fati mei adesse sentio, heu quot bona mecum interibunt. Cæterum quantus uir ille fuerit attestarentur Codri antiquitates, quæ nisi mors, quæ humana plerumq; irrita facit, approperasset, nunc in manibus omnium haberentur. Sed proh dolor, inuidit tantæ rei cœlum, quid aũt scripturus esset in his antiquitatibus sane ignoramus. Sed opinamur, si diutius uixisset, scripturum fuisse arcana quædam & recondita, tam græco, quàm latino sermone, nam passim in marginibus librorum, quibus studere solitus erat, eius manu scriptum inuenimus. Vide Codri antiquitates, sæpius ibidem etenim citat secundum uel tertium antiquitatum librum, fabularumq; opus scripturum fuisse, in primo eius sermone notauimus. Omnino meminisse debemus id quod à multis sæpissime usurpatum est. Quod cuique faciendum est, sero facere, ne incipiat. Clamat Christus deus noster in hanc prope sententiam (quanquam sensus ille ad altiora

sit referendus) Estote parati, quia nescitis diem neq; horam. Caussam ualetudinis unde contraxerit, diuersitas tradentium ambiguam reddit, mihi ipse eadem de re interrogāti respondebat, ingruere morbum cœpisse sumpto semel tantum lautiore cibo. alij uero aliter. Sed ea quæ discrepant, in medium relinquam. Aspergebatur eius frater infamia, quasi mortis caussa tanti uiri extitisset, Nam cum ęgrotaret Codrus, arcæ nummariæ clauem nocte clam surripuisse fratrem è puluinari, non desunt, qui affirment, quod ubi Codrus animaduertit, in tantam aiunt incidisse animi angustiam, ut duobus diebus continuis, antequam animam efflaret, nihil ferme aliud uociferaretur, quàm ut scrinij clauem sibi darent. Libet exclamare cum poëta eminentissimo. Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Circa Christianum dogma, si non re, uerbis saltem plerumque claudicabat, Rogantibus amicis quid sentiret de immortalitate animæ, nescire se respondebat quid post mortem de se futurum esset, uiueret ne animus, siue anima, an interiret unà cum corpore, quæque de inferis homines prędicarent, anilia dicebat esse quædam terriculamenta, Extat in eū epgrāma nobile, amarissimis sane uerbis exprobans, qđ non recte de Christo sentiret, de inferis, de immortalitate animæ. Ecclesiæ tamen sacra, cum ad ultimum uitæ finem ægrotaret, ipsemet petijt. Nam cum ad se Christi corpus per sacerdotem afferri uideret, pectus manibus atq; ora pœnitentis in modum percutiēs, miserum se esse profitebatur, & nunq; sapientem, qui ductus esset p omnem fere uitam à tanta animi cæcitate. Oculis deinde ac manibus ad cœlum sublatis. Virgo regina inquit, quæ cœlum incolis fer quæso opem misero peccatori, Noli me, qui tuum in sinum confugio, supplicem reijcere. Si unq; peccantem hominem uoti reum fecisti, sic mihi extrema oranti dextram ab alto porrigas oro. Interrupit orationem discipulorum gemitus, oborteq; sunt omnibus lachrymæ. Sacerdos uero apprehensa eius dextra, noīe ipsum compellans, Codre fili mi ait, bono esto animo, atq; intrepido, nec Dei misericordiam desperes. Placabiles enim sunt sensus bonorū, Deus (quis dubitat) bonus est, ergo Deus placabilis. In ultimo limine uitę te summus iste rerū conditor Deus collocauit.

Codrus semel tantum sumpto lautiore cibo morbum letalem contraxit.

Codrus male Christianus.

penes

penes quẽ oĩm rerũm est arbitriũ. Quãobrem te quęso Codre, nunc uirilem animũ, nunc ualidas sapientis animi uires ostende. Inter hæc oẽs ad Deum supinas manus tendentes pleni lachrymarũ in genua procumbebant. Codrus uero multis & ipse cũ lachrymis cœlestem illum panem uenerabundus manducauit, Deo & se animãq; suam commendans. Nocte, quam is ultimã in terris egit, signũ alienatę mentis ostẽdit. Videbatur enim sibi uidere quẽdam ingenti magnitudine, capite raso, barba ad terram usq; promissa, ardentibus oculis, faces in utraq; manu gestantem, ac toto corpore tremebundũ. Hunc pauore uerba dictitantẽ his alloquitur uerbis. Quis nã tu es, qui solus furiali habitu, ea noctis parte, q̃ mortales somno altiss. premuntur, deãbulas, noli ad me, qui Dei amicus sum infestus accedere, effare quid quæras, quo ire pergas? hęc cum dixisset ẽ strato prosiluit, quasi illum in se irruẽtem uitaturus. Codri auditores complures sane fuerunt, sed pręcipue existimationis, Ioannes Baptista Palmarius, quem unicè dilexit, Cornelius Valta, Camillus Paleottus, Antonius Albergatus, & Peregrius Blanchinus cõsobrinus meus, iuuenis altæ admodum indolis, qui, heu miseram mortalium conditionem, acerbissimis raptus est fatis. Tuam mi consobrine memoriam summam cum beneuolentia in pectore habeo, eritq; æterna, dum uita suppetet. Dehinc Philippus Beroaldus iunior, qui publicè legẽdo post Beroaldum maiorem primum obtinet locum, Auguriorũ hoc quoque æuo, nemo magis fuit obseruantior, ea etenim existimabat diuina quadam constante prouidentia, Si quando eius puero lucerna extingueretur, caue, caue tibi miser, altè ꝓclamabat, retrogradere, ingens namq; tibi imminet malum, & ita si quid opus erat, ipse peragebat, ne puer ille periclitaretur. Prodigia nec minus, si qua uulgo essent nũciata, malũ uel sibi, uel cuiuis litterarũ ꝓfessori fata minitari arbitrabatur. Innumerabilia fuerũt eiusmodi, quæ si uellem in unũ librũ separatĩ congererẽ. Codri cognomen hoc modo traxit, cũ esset Foroliuij, accidit, ut princeps Foroliuiensiũ Pinus, Antonio se cõmendaret, in uia forte sibi obuiã facto. Cui Antonius subridẽs, Dij boni inquit, q̃ bene se res habeat uidetis, Iupiter Codro se cõmendat. Hinc oẽs dum mutato noĩe Codrum

Codri discipuli.

appellauerunt. Sunt qui tradant, obscœno puerorum amore e & fuisse insanum. Sed age hæc, & alia, quæ à maledicis hominibus falsò obiecta sunt, omittamus, ne uideamur de his rebus loqui libenter, quæ natura semper odimus. Talium enim hominum cænosos mores, atque sermonem quotiens audio, taciturnitate, & rubore ostendo, eum me sermonem iniquo ferre animo. Ex amicis maxime dilexit Protonotarium nostrum Galeatium Bentiuolum, cuius laudes, cum carmine elegantissimo, tum soluta oratione æternitati consecrauit. De quo illud memoratu dignum dicere solebat. Nisi Galeatius esset, non essem ego. Cuius tum etiam patrem Ioannem Bentiuolum uerissimis laudibus extollens, Bononiensium extremum appellabat. Mimum quoque Roscium celebratis monumenris à Beroaldo laudatum summopere dilexit, quem litteratorum omnium asylum appellare consueuerat, pluresque esse Minos in Bononiensium urbe desyderabat. In cæteros autem, ut erat natura inconstans, se uarium exhibebat, Hunc modo humaniter, benigneque excipiens, modo ipsum illum si horã interponeres fastidiebat, Dicere etiam solebat, in hoc se tantum ueros habere amicos, quia uerba, quæ nullo precio emerentur, liberaliter darent. Quod si aliquo sibi casu opus fuerit ijsdem illis uti, tum maxime intellecturum quanta amicorum laboraret inopia. Possem hic quidem exemplum referre, quod nunc succurrit, sed parcè quædam, quædam autem pleno (ut aiunt) dicenda sunt gurgite. Cæterum nos ipsius quoque testamentum legimus, quod ex tempore triduo antequam animam ageret, ipsemet condiderat. Cuius initium ita est. Ego Antonius Vrceus Corthesij Vrcei iam filius uitam & salutem ab immortali Deo spero & opto. Sed cum res humanæ fragiles sint & caducæ, & scansilis annus, qui fit ex sexto nouenario, malum mihi minetur, dum memoria & ingenio promptus sum, & ualeo, ita de rebus meis disponi uolo. Imprimis animum meum seu animam omnipotenti Deo commẽdo, per eius uerba sic dicens. In manus tuas domine commendo spiritum meum. Quem quidem animum semper mortalem duxi contra Epicurum oscitantem, & eos, qui sub Christiano nomine, nihil Christiani agunt, Corpus uero templo sancti Saluatoris ornatissime

natissime & religiosissime cõmendo & trado, Bibliothecæ eius opus quoddam sancti Basilij in membrana scriptum uetus & magnum è Constantinopli apportatum dono liberaliter & trado, decimas uero pro animæ meæ salute soluendas, libras uiginti cõuentui sancti Saluatoris prædicti, hoc est, decem pro sepultura, decẽ pro salute animæ meæ. Item pro maleablatis uolo libras decem dari & exolui spurijs sine patre uiuentibus. Patrimonium autem meum Ioanni sacerdoti, Ludouico scholari studenti in iure pontificio, & Amadeo iuueni fratribus meis ex alia matre natis pari portione distribuendnm uolo. Sororibus autem Chaterinæ & Lucretiæ, ne se præteritas putent, quinque libras cuilibet earum lego. Petro Antonio fratri meo uterino & germano in alijs reb. prouidebo. Cassandræ uxori fratris Petri Antonij decem libras lego, Et Leonoræ fratris filiæ centum libras nomine dotis constituo, quas ad hæredem meum redire omnino uolo, quem infra nominabo, si Leonora ipsa intra tempus testãdi moreretur. Omnium autem bonorum, siue uestes, siue libri, siue pecuniæ argenteæ, uel aureæ sint, præterea omnium supellectilium, quæ ad me spectant, uniuersalem hæredem relinquo, cum summa pace, bẽnedictione & osculo, Petrum Antonium germanum & uterinum, ut supra dixi. Cui præcipio & mando omnia superiora legata perficiat, & libros græcos alienos mihi traditos reddat. Et pecunias inde extractas debitoribus soluat in animæ meæ subleuationem.

PHILIPPI BEROAL-DI VITA PER BARTHOLOMÆVM BLANCHINVM condita ad Camillum Palæotum.



RIGO Philippi Beroaldi uetustissima est, & cuti in quadam epistola ad me Beroaldus ipse commemorat, Philippo pater Ioannes fuit, mater Castorea, sanctissima femina. Natus est Bononiæ septimo Idus Nouembris, Anno à partu Virginis quinquagesimo supra millesimum & quadringentesimum. Quarto ætatis anno patrem amisit, educatusque honestè sub matre uidua unà cum duobus fratribus, Antonio natu maiore, ac Ioanne Architecto posthumo. Matrem ne à sanctissimis naturę legibus discederet, religiosissime coluit, quæ senex admodū decessit. Vbi egressus est annos, qui nutricū fouentur auxilio, puer literarum studijs, quibus ætas illa impartiri debet, eruditus fuit. Marianum, deinde Mathęum clarissimos tunc Grāmaticæ magistros audiuit. Primo bonæ indolis puer adparuit, in quo uirtutes cum ętate creuerunt. Amor laudis acuebat eum ad cupiditatem literarū. Erat præterea in puero summa ingenij docilitas, ac innata quædam suauitas oris uocisque. Memoria autem tanta ut oīa legisse, oīa meminisse uideretur, quę sicut in paruo tenacissima fuit, ita iam ætate prouectus firmauit eam, atq; aluit assiduo studendi docendiq; usu. Exacta pueritia sub Francisco Puteolano poëta inclyto creuit, quem affectatus est, mira studiorum cupiditate, & quodam ardore iuuenili. Studia literarum Bononiæ primum uix dum annos pubertatis egressus, mox Parmæ, atq; inde in Gymnasio Parrhisiorū celeberrimo, frequenti professus est auditorio. Ad postremū honorificè reuocatus in patriam usq; ad supremum uitæ diem, maxima gratia & uenere legit, ita ut eius fama cresceret quotidie. Bentiuolorum rogatu iam 44. annorū Camillam Vincentij Paleotti Iurisperiti filiā in matrimoniū accepit, ex qua liberos quatuor tulit. Huic mulieri cuncta bona à natura data sunt, forma honesta ue-

nustaque, sermo comis, nec absurdum ingenium, nobilitas sanctimoniaque insignis. Cum marito sine ulla quærela uixit. Denique quicquid in egregiam feminam laudis dici potest, in hac fuit beneficio naturæ collatum. Cũ Mino Roscio senatore ingenij iucundi & elegantis uiro, quem puerum in ludo cognouerat, adeo uixit coniunctissime, ut ad ultimum uitæ finem amicicia eorum durauerit, Tantaque inter eos fuit concordia, ut alter alteri (quamuis semper honesta cupiebãt) nũq̃ repugnauerit. Huius uero mortem cõmodissime Beroaldus ipse prosequutus est in eo libello, q̃ Symbola Pytagoræ inscribitur, Fuit autem Minus uir domi forisque conspicuus, ac mira eius facundia, populo gratus, Bentiuolisque, Fortunis longè omnes in ciuitate nostra (Bentiuolos semper excipio) superauit, Nihil dulcius ingenuo eius animo fuit, q̃ uidere plenam semper domũ concursu doctissimorum hoĩm, Codri quoque Oratoris clarissimi, cuius uitã superioribus annis memoriæ mãdauimus, intima familiaritate utebatur. Franciam aurificem, & in pingendo longe citra emulũ ualidum, fraterna charitate dilexit. Fuit etiã amicissimus An. Politiano, & Pico Mirandulæ rari exempli uiro, qui cum ab amicis rogaretur, quidnam de Beroaldo sentiret, memorabilẽ illam, meritoque celebratam hoĩm memoria uocem, respondebat, Beroaldum sibi uiuam quandam ac loquentem uideri bibliothecam. Cæterum non ab re, excedere paululũ ad enarrandũ breui cõpendio huius Pici uitam. Ioannes Picus Miran. nobilitate familiæ fortunisque satis cognitus, tantam in oĩ literarũ genere laudem consecutus est, ut cæteris oĩbus, qui nostro præcepta sapientiæ tradiderunt æuo, fulgore quodã suæ claritatis (uenia cęterorum) tenebras induxerit, quinque linguarum notitiam habuit, in quibus singulis cũ multum emineret, ubi tñ excelleret potissimũ ambigebatur. Reliquit non mediocrem Syluam ad posteros monumentorũ, quæ nunc in manibus habentur, plura & meliora scripturus, nisi properata mors fecisset iniuriã, Extinctus est enim in summo perfectissimæ laudis splẽdore, 32. agẽs ætatis annũ. Vir profecto supra humanum fastigium magnitudine ingenij prçditus. Aderant nec non fortuita, corpus procerum, decorã faciem, honestabat flaua cæsaries, Comis tũ sermo tũ etiã

con-

congressus. De uiro hoc, qui plura scribit, seipsum potius enecat, quàm honorat ipsum, quia laudes eius quisquam enumerare haud satis digne unquam posset. Hactenus de Pico. Fuit præterea Beroaldus noster uir ingenij præstantis, multiplicis doctrinę, memoriæ uero infinitæ, rerum innumerabilium, quod sane ex eius apparet scriptis. Euolue diligenter commentaria in Apuleium, amplius quòd desyderes nihil erit. Præterea comi facilis natura. Si quis de eo male sentiret, susq; deq; ferebat, pari animo emendabat, quæ bene repræhensa ab unoquoque uiderentur. Illud de uiro hoc dicere satis habeo, quòd in uita sua nulli maledixit unq̃ neq; alienam existimationẽ apud se lacerari passus est. Erat enim natura lætus, sic ut uultum nũquam mutauerit mœrore ullo. Super mensam semper comissimus, quam multo ioco transigebat. Conuiuabatur assiduè, præsertimque cum Roscio suo, cuius mihi memoria sacrosancta est, ita Bentiuolis, à quibus quæcunque peteret, repulsam nunquam habuit. Lautus in uictu, quippe qui pluribus semper cibis uteretur, & quoties ocium esset alea se oblectauit. Cęterum ex ipso lusu raro lucratus est. Nam cum minus prosperiore uteretur fortuna, grandem quandoque pecuniam amittebat. Profusissima libido in feminas Beroaldo, cætera uiro sancto ac integro, obijci potest. Matronas aliquot nobilitate familiæ, fortunisque satis cognitas sollicitauit ad stuprum, hisque, quia sumptuosus in tali libidinum genere erat, potitus est. Verũ hæc, cum adhuc permaneret in cœlibatu. Scripsit multa quamuis annum ætatis quinquagesimum secundum nondum attigerit. Primum annotationes in Plinium, cum publicè profiteretur Parmæ, uixdum expleto ætatis suæ undeuigesimo anno. Posthæc Seruij correctiones, in Propertium commentaria cum centum annotationibus. Item orationes quasdam dispersim habitas, in iustum uolumen redegit. Scripsit itidem commentaria in Suetonium, in Tusculanas quæstiones. Posthæc sextum & quadragesimum ætatis annum gerens, celeberrima illa in Asinũ aureum commentaria componere instituit, absoluitque. Scripsit quoq; annotationes in Philippicas quas Benedicti Hectoris bibliopolæ nomine mihi dedicauit. In Columellam nostrum annotationes cõ

Commentaria in Apuleium.

Beroaldus infelix aleator.

Scripta Beroaldi.

plu

plurimas edidit. Composuit & uariæ eruditionis aliquot opuscu la. De fœlicitate, Declamationem Philosophi, Medici & Orato ris. De optimo statu. Septem sapientum sententias, quorum præ cepta quasdam uitæ leges existimamus. Item Ebriosi, Scortato ris, Aleatoris declamationem. Libellum unum composuit, cui ti tulus est, Symbola Pythagoræ. Extat & alter æque modicus, pro uerbiorum. Nouissime de terræ motu, pestilentia, ac Galeni cor rectiones scriptũ reliquit. Poëticã uix attigit. In Hendecasyllabis multũ ueræ gloriȩ meruit. Quosdam præteritos errores postre mis scriptis suis damnauit. Literis uero græcis leuiori studio ope ram dedit, & quidem adhuc puer scribendi stilo docto usus est, compto, expolito, lectoque florum genere ornato, sed qui nume ris omnino careat. Non omnia possumus omnes. Cæterorũ hoc ferme dicendi genere, multi nostro sunt æuo qui utantur, uiri ali oqui docti, & in plurimis admirandi. Excusantur uicia consuetu dine aut autoritate. In eius certe scriptis deprehendere licet, non ullius ingenuȩ artis scientiam ei defuisse, ita omnium rerum sci entia exundat illa immortalis æternaq; memoria, In commendã dis exponendisq; authorum sensibus, inter cæteros adeo fuit emi nentissimus, ut Codrus Vrceus Orator, nostra homo memoria acri iudicio, magna doctrina, beatissimaq; rerum uerborumq; co pia præditus, per excellentiam quandam Beroaldum commenta torem Bononiensem appellare consueuerit. Legem enim quan dam commẽtandi non seruasse modo affirmabat, sed propè con stituisse. Forma fuit iusta, facie paulo oblonga exiliq;, prægrandi bus oculis ac nigris, capillo raro, caluoq; plurimum capite, colore inter aquileum & cãdidum, gracilitate maxima ceruicis ac totius corporis, ore aliquanto pleniore. Natus annos duodeuiginti peri culosam ualetudinem expertus est, ad desperationem usque me dicorum laborans. Creditum est eum sanguinis detractatione cu ratum pristinam recuperasse ualetudinem. Sæpissime etiam He morrhoidum morbo infestabatur, non sine maxima sanguinis p fusione, postremo sanguinis profluuio cohibendo admoto con sensu medicorum igne sanatus est, Omnibus tum ferme annis certo tempore febri implicabatur. Seruandæ ualetudinis caussa

P

quoties à bile inquietabatur, cibo se abstinebat. Tuebatur etiam salubritatem suam assidua ante cibum deambulatione. Nam celeri adeo deambulabat gradu, ut subsequentes plærumque defatigaret. Frigora quidem facile, sed æstus difficillime tolerabat. Valetudine prospera usus est, extremo uitæ tempore, excepto anno antequam moreretur, quæstus est biduo de Ischiaco dolore. Maligno febris ardore implicitus decessit decimo sexto Calend. Augusti, annū agens ætatis quinquagesimum primum superq́ menses octo, ac dies nouem, relicto impubere adhuc filio Vincentio & uxore Camilla, unà cum duobus fratribus, Antonio natu maiore ac Ioanne architecto posthumo. In summo publico luctu funeratus est, magna impensa ac solenni prosequētium pōpa. Ciuitas etiam oīs in funere ornando, magno studio certatim progressa est. Cadauer eius pro templo Diuæ Virginis extra montanam portam asportatū est. Ante paucos quàm obiret dies, uocata ad se cōiuge dulcissima, numina genialis thori testatur, se matrimoniū seruasse illæsum, impatientius dolentem consolatur, oratq́ temperaret dolori, ac desyderium sui in contemplatione recte factorum scriptorumq́ suorum solatijs honestis toleraret. Extremo uitæ tempore ad honestum dignitatis gradum non ambitio, sed boni mores & spectata inter cæteros uirtutis eminentia uirū perduxit. In amplissimo etenim sexdecim uirorū ordine consensu senatus à secretis electus est, magno eius honore, nec minore emolumento. Scolam eius clari genere fortunisque uiri frequentarūt, ad quem audiendum undique ex longinquis regionibus confluebant. Sunt & alij doctissimi eius discipuli, nobis admodum familiarissimi, qui, modo uita superfit, præstantissimi præceptoris gloriam æquabunt. Profitebatur autem hora diei fere tertia frequenti audientium turba. Pronunciabat dulci claraque uoce, ac iucunda, & ad auditum accōmodata, recta facie, nec minus decoro corporis motu, ac dicendi actu. In elucidandis uero scriptorum sensibus tanti ingenij dexteritate usus est, ut omnibus pariter audientibus satisfaceret semper. Adeoq́ magna in literis eius fuit autoritas, ut non ab homine, sed à Deo responsa dari uiderentur. Huius uiri inter multa egregia, & istud memorabile fuit, quòd indefes-

Beroaldi obitus.

Beroaldus à Secretis ordinis sexdecim uirorum.

sus à mane ad uesperas post publicas lectiones, priuatas etiamnum legebat. Me quidem adulescentulo memoria repeto singulis dieb. nouem lectiones legere solitum, nec unquam de mercedibus pactus est, eoque plura ex liberalitate discentiũ consecutus, hunc quæstum sine crimine sordium fecit. quia tunc temporis res familiaris ad usus necessarios non homini ad plenum suppetebat. Sic etiam Socrates quasi quidam philosophorum Deus, sic Chrisippus, sic Cleanthes mercedes à discipulis acceperunt. Vixit paruo contentus, pecuniæ, quæ nimis in hominum animis potest, minus erat cupidus. Proculdubio hic à diuitijs possessus non est, sed possedit diuicias. Sacris etiam per omnem uitam intentus, ut bonum ageret Christianum, fatigabat Deũ festos dies religiosissime celebrans. De æternitate animorum sæpissime disseruit. cuius hæc erat sententia: animos hominum esse sempiternos, & bonarum rerum sensum manere perpetuo.

IOANNIS PICI

MIRANDVLÆ VIRI OMNI DISCIPLINARVM GENE

ri consummatissimi Vita, per Ioannem Franciscum illustris principis Galeotti Pici filium ædita.



OANNIS Pici patrui mei uitam scribere orsus, præfandum lectoribus in primis duco: ne aut quòd fratris filius, aut quòd discipulus fuerim, me aliquid in gratiam blandientium more dicturum suspicarentur: nihil hic amiciciæ datum, nihil familiæ, nihilque beneficijs, quæ maxima profecto in me extiterunt, ficticia laude repensum. Tantum quippe ab adulatione seiuncta est narratio mea, quantum abfuit adulandi necessitas, tantumque caui, ne me uel mentitum, uel uehementem in laudibus legentes arbitrarentur. Si quicquid de ipso conceperam literis tradidissem, ut illud fuerit fortasse periculum ne parcum potuerint, uel ipsæmet uirtutes excelsæ, uel earum assertores coarguere. Quod uel hoc argumento uidere licet, cum plurimæ doctorũ nostræ ætatis hominum, & ex primoribus quidem elucubratissimæ scriptiones, non modo his quæ sumus dicturi locupletissimum reddiderint testimonium, sed & dum uteretur hac luce, & postquam eam cum potiore commutauit, in eius me & morum & doctrinæ præconijs præcelluerint. Quarum nonnullas in huius libri calce post commentationes ipsius adscribi iussi, ut firmior testibus non gentilicijs fides adhiberetur. Paternum genus (licet ab Constantino Cæsare per Picum pronepotem, à quo totius familiæ cognomentum, memoriæ proditum sit traxisse primordia) missum facientes, ab ipso tempore natiuitatis sumemus initium. Tum quòd familiæ forsan non minus honoris ille contulerit, quã acceperit, tum quod proprias animi dotes, reliquaque totius uitæ & obitus seriem præ se ferentia, quæ uel proprijs, aut auribus, aut oculis hausi, uel ab grauissimis excepi testibus aperienda duxerim.

Genus Pici (margin note)

posthabitisque & stemmate, & pręclaris auorum facinoribus recensenda. Anno à partu uirginis tertio & sexagesimo supra millesimum & quadringentesimum Pio secundo Pontifice maximo Ecclesiæ Præside, & Federico tertio habenas imperij Romani moderāte, Mater Iulia ex nobili Boiardorū familia, Ioanni Frācisco patri ultimo eum partu peperit. Iam enim Galeottum maiorem natu, ex quo sum genitus, & Antonium Mariam, sororesq; duas enixa fuerat. Quarum altera Leonello iam coniugi Albertum Pium ex Carpi principibus unum edidit, nunc Rodulphi principis Gonzage consors: Altera Pino Ordelaphio Foroliuiensi principe, cui iampridem nupserat, uita functo, montis Agani Comiti secundas nuptias concessit. Prodigium haud paruum ante ipsius ortum apparuit. Visa enim circularis flamma est supra parientis matris astare cubiculum moxq; euanescere, fortasse nobis insinuās orbiculari figuræ intellectus perfectione simillimum eum futurum, qui inter mortales eadē hora proderetur, uniuersoque terræ globo excellentia nominis circumquaque celebrandum; cuius mens semper cœlestia, ignis instar petitura esset, cuiusque ignita eloquia flammatæ menti cōsona, Deum nostrum (qui ignis comburens est) totis uiribus quandoque celebratura, sed statim obtutibus hominum, ut illa euanuit, occulēda. Legimus quippe doctissimorum sanctissimorumq; hominū ortus, insolita quandoque signa aut præcessisse, aut subsecuta fuisse, ueluti eorum incunabula infantium ab aliorum cœtu diuino nutu segregantia summisque rebus gerendis natos indicantia. Sic ut omittam reliquos, examen apum Ambrosij magni ora lustrauit, in eaque introgressum est, deinde exiens, altissimumque uolans, seque inter nubilia condens, paternos aspectus, aliorumq; qui aderant uisus elusit. Quod præsagium Paulinus plurimi faciens, scriptorū eius fauos nobis indicasse disseruit, qui cælestia dona enunciarent, & mentes hominum de terris ad cœlum erigerent. Forma autem insigni fuit & liberali, procera & celsa statura, molli carne, uenusta facie, in uniuersum albenti colore, decentiq; rubore interspersa, Cæsijs & uigilibus oculis, flauo & inaffectato capillicio. Dentibus quoque candidis & æqualibus, Sub matris imperio ad magi-

stros disciplinasque delatus, ita ardenti animo studia humanitatis excoluit, ut breui inter poëtas & oratores tempestatis illius præcipuos, nec iniuria, collocādus esset. In discendo quidem celerrimus erat, prōpto adeo ingenio prædítus, ut audita semel à recitante carmina, & directo, & retrogrado ordine mira oīm admiratione recenseret, tenacissimaq; retineret memoria, qđ cæteris contrà euenire solet. Nam qui celeri sunt ingenio, natura fieri solet, ut non multū memoria ualeāt, qui uero cum labore pcipiunt, tenaciores preceptorum euadant. Dū uero 14. ætatis annum ageret, matris iussu quæ sacris eum initiari uehementer optabat, discendi. Iuris Pōtificij gratia, Bononiam se trāstulit, quod cum biennium degustasset, meris id inniti traditionibus cōspicatus, aliò deflexit, non tñ absq; bonæ frugis foetura, quando iam puer, & qdem tenellus ex epistolis summorum Pontificum, quas decretales uocant, epitomen quandam seu breuiariū compilauerit, quo oēs concisius, quàm fieri potuit, sanctionum illarum sententias cōclusit, consummatis professoribus, opus non tenue. Sed secretarū naturæ rerum cupidus explorator, tritas has semitas derelinquēs Intellectus speculationi philosophiæq;, tum humanæ tum diuinæ se penitus dedit, cuius enanciscendæ gratia, non tm̄ Italiæ sed & Galliarum literaria gymnasia perlustrans celebres, doctores tempestatis illius more Platonis & Apollonij scrupulosissimè perquirebat, operā adeo indefessam studijs illis impendens, ut consummatus simul & theologus, simul & philosophus imberbis adhuc & esset & haberetur. Iamq; septennium apud illos uersatus erat, qñ humanæ laudis & gloriæ cupidus (nondum enim diuino amore caluerat, ut palam fiet) Romā migrauit, inibiq; ostentare cupiens, quanta eum à summu ssoribus in posterum maneret inuidia, nongentas de dialecticis & mathematicis, de naturalibus diuinisque rebus quæstiones proposuit, non modo ex latinorum petitas archulis, Græcorumque excerptas scrinijs, sed ex Hebreorum etiam misterijs erutas, Chaldeorumq; arcanis atque Arabum uestigatas. Multa item de Pytagoræ Trimegistiq;, & Orphei prisca & subobscura philosophia, multa de Cabala, hoc est secreta Hebræorum dogmatū receptione, cuius & Origines & Hilarius ex no-

nostris potissimum comminiscuntur, quæstionibus illis intexuit, multa etiam de naturali Magia, quam nō paruo interstitio ab impia & scelesta separari edocuit, Idque multorum testimonio elegantissime comprobauit. Nec duo & septuaginta noua dogmata Physica & Metaphysica propria eius inuēta & meditata, ad quascunq; philosophiæ quæstiones elucidandas accommodata defuerunt. His nouam per numeros philosophandi institutiouem adnexuit, Cunctaque simul publicis locis, quo facilius uulgarentur affixit, pollicitus se soluturum eis impensas, qui ex remotis oris disceptandi gratia Romam se cōtulissent. Verum obtrectatorum simultate (quæ semper uelut ignis alta petit) nunquam efficere potuit, ut dies altercationis præstitueretur. Ob hanc causam Romę annum mansit quo tempore uitiligatores illi palam eum, & libero examine non audebant aggredi, sed strophis potius & cuniculis sugillare, clanculariisque telis suffodere, pestifera corrupti inuidia conabantur. Liuorem hunc uel hac ratione sibi maxime eū mouisse existimatum est, quòd multi qui uel ambitione fortassis uel auaritia literario negocio diu incubuerant, notam sibi fore autumarent, si iuuenis ille aggestis atauorum opibus multaq; doctrina, quasi fertilis ager luxurians, in prima orbis urbe de naturalibus diuinisq; rebus, deq; multis per plura secula nostris hoībus nō accessis, periclitari doctrinā & ingenium non uereretur. Et enim nihil aduersus doctrinā ueris machinis moliri posse animaduerterent, attulisse eosdem in medium tormenta calumniæ, tredecimq; ex nōgentis quæstiones rectę fidei suspectas acclamauisse, quibus forte se iunxisse nonnullos qui quæstiones illas utpote insuetas eorum auribus, ut pie ita fortasse parū erudite & zelo fidei & prætextu religionis, incesserent, quas tamen quæstiones non pauci, & quidem celebrati theologiæ doctores, seu pias & mundas prius approbauerant, eis denique subscripserant. Quorum cœtu Bonfrācifcus Regiensis episcopus annumeratus est, uir morū grauitate præclarus, qui Romæ ad Pont. Max. ea tempestate pro Ferrariensium duce agebat, legaturi aduersus tamen eum blaterones illi nihil attentarunt, cum forte ab eis labefactari eius famam non posse uererentur, quando quicquid tractasset, corre-

cti-

ctioni matris ecclesiæ & Pontificis submisisset. At is famæ istæc dispendia non perpessus, Apologiam edidit, Varium certe opus & elegans multaque rerum scitu dignarum cognitione refertum uigintiq; tantum noctibus elucubratum. Qua editione luce clarius conspici datum est, non tam conclusiones catholicos potuisse sensus recipere, quàm illos qui prius adlatrauerant insolentiæ & ruditatis coarguendos esse, librumq; ipsum & quæ scripturus erat in posterum matris ecclesiæ eiusque præsidis sanctissimo iudicio Christianissimi hominis more commisit. Id enim uel expresse uel tacite fieri oportere persuasissimum est, quasi illud Augusti ni proferret. Errare possum, hæreticus esse non possum, quando alterum sit hominis proprium, alterum peruersæ & obstinatæ uoluntatis. Sed ubi Innocentius Octauus Pontifex Maximus accepit per editionem apologiæ interpretatas conclusiones illas, quæ prius calumnijs infestatæ fuerant, in catholicum sensum, & à nota criminis releuatas. Referentibusq; nonnullis, quibus conclusionum examen demandatum fuerat, decipulas opponi posse fidelibus, si nonnullæ quæstionum illarum (quæ crudæ quidem & inexplicitæ disceptandarum more iacebant) passim uagarentur, libelli lectione quo cõtinebantur interdixit, quæ omnia per Alexandri Sexti Pontificis maximi, sub quo nunc uiuimus, Diploma quod breue nominant, liquido uisuntur, quod cum apologia ipsa impressoribus tradere exarandum duximus. Verum in ipso calce apologiæ quod postea Pontifex authoritate præstitit, quibus ille poterat rationibus antea factitauerat, obsecrauerat quippe amicos & inimicos, doctos & indoctos, ut apologiam legerent, libellum uero ipsum conclusionum inexplicitarum præterirent illectum, quando in eo plurima continerentur, quæ non passim uulganda triuijs, sed secreto congressu inter doctos & paucos disputanda susceperat. Scolasticamque exercitationem more academiarum meditatus, multa ueterum philosophorum Alexandri scilicet & Auerrois aliorumque quamplurium dogmata proposuisset, quæ semper publicè & priuatim asseruerat, professus fuerat, prædicauerat, non minus à ueræ rectæque philosophiæ, quã à fidei semitis declinare, atque in hunc modum de libello illo non

gen

gentarum conclusionum uerba faciens, apologeticum opus conclusit. Qui ergo me oderunt ideo illa nō legant, quia nostra sunt. qui me amant, ideo non legant, quia ex illis quæ mea sunt, cogitare plurima possent, quæ non sunt nostra. Cæterum immensa Dei bonitate, quæ ex malis etiam bona elicit, effectum esse (quēadmodum mihi retulit) iudicabat, ut calumnia illa falso à maleuolis irrogata, ueros errores corrigeret. Eique in tenebris aberranti (ut quantum exorbitasset à tramite ueritatis contueri posset) ceu splendidissimum iubar illucesceret, Prius enim & gloriæ cupidus, & amore uano succensus, muliebribusque illecebris commotus fuerat, fœminarum quippe plurimæ ob uenustatem corporis, orisq; gratiam, cui doctrina, amplæque diuitiæ, & generis nobilitas accedebant, in eius amorem exarserant, ab quarum studio non abhorrens, parumper uia uitæ posthabita in delicias defluxerat. Verum simultate illa experrectus diffluentem luxu animum retudit, & conuertit ad Christum atque fœminea blandimenta in supernæ patrię gaudia commutauit, neglectaque aura gloriolæ, quam ipse semper affectauerat, Dei gloriam & ecclesiæ utilitatem tota cœpit mente perquirere, adeoque mores componere, ut posthac uel inimico iudice comprobari posset. Cumq; de ipso gloriosa statim fama & per uicinas & per remotas oras uolitare occepisset, plures ex philosophis, qui eruditissimi habebātur ad eum, tanquam ad mercaturam bonarum artium (ut inquit Cicero) confluebant, uel ob commouenda literarum certamina, uel quibus inerat rectior mentis sententia, ad audienda tenendaq; recte uiuendi salubria dogmata, quæ tanto magis expetebantur, quòd ab homine doctissimo & pariter nobilissimo profluebant, qui quandoque deuios mollitudinis uoluptuariæ anfractus sectatus fuerat. Videntur enim ad disciplinam morum auditorū mentibus inferendam ea plurimum haberi momenti, quæ & suapte natura bona sunt, & à præceptore conuerso ad iusticiæ semitas, ex distorto & obliquo libidinum calle proficiscātur. Elegiaco carmine amores luserat, quos quinq; exaratos libris religionis causa ignibus tradidit. Multa itidem Rhitmis lusit Hetruscis, quæ pari causa par ignis absumpsit, Sacras deinde literas ardentissimo

Periculum famæ occasio pietatis.

ſed altiſſimis & philoſophorum dogmatis, & theologicis ſenſib. undiquaque reſperſum, quo ſuperius ente non eſſe unum, ſed ſi bi inuicem reſpondere, æqualiꝙ; eſſe ambitu oſtendit. Controuerſiamque ſuper ea re à Platonis Ariſtotelisque ſectatoribus habitam recenſuit, aſſeuerans Academicos illos, qui contrariũ contenderunt, uerum Platonis dogma nõ aſſecutos, ſenſuũꝙ; prorſus cõmunionem inter Ariſtotelem & Platonem de uno & ente, ſicut & de reliquis in uniuerſum, & ſi uerba diſſiderent, demonſtraturus erat non defuiſſe. Vltimo quoꝙ; operis capite totã diſputationem ad inſtitutionem uitæ & morum emendationẽ nõ minus ingenioſe ꝗ religioſe conuertit. Aduerſum quod opus Antonius Fauentinus, egregius alioquin philoſophus nonnulla quatuor epiſtolis obiectamenta protulit, quarũ tribus ipſe reſpondit, quartæ uero uel quia fideliter delata non fuit, uel quia ex præſcriptis reſpondere poſſe putauit, uel alia quapiam de cauſſa quæ iuſta tamen credenda eſt, mentionem quod ſciuerim, non habuit. Cui nos poſtquam deceſſit è uita, ne falſa uel latrandi maleuolis, uel ſiniſtri aliquid credendi rudibus præberetur occaſio, reſpondendi munus obiuimus. Illudque potiſſimum curauimus, ut ex præcedentibus ipſius ſententijs fuiſſe magna ex parte reſponſum monſtraremus. Vidimus etiam nonnulla & Platonica uernaculo ſermone ab eo digeſta, quibus multa ad priſcorum theologiã enodandam facientia, multa in enigmatibus & ſcriptis abſtruſa ſapientum ſenſa reſerantia deprehenduntur, quæ forſan maius ocium nacti latina reddere tentabimus, ne tanti hominis ſuperemines doctrina hiſce de rebus maxime peruia quibuſque uulgi ante ora feratur. Hactenus de perfectis lucubrationibus, quas ante mortem emiſerat ueluti nuncios & anteambulones præclarorum operum quæ conceperat, & procudebat. Vetus enim teſtamentum interpretamenti iam facibus illuminarat, idipſum muneris ut nouo pręſtaret accinctus, nec eos tm̃ quos literę ſeries ferre poterat ſenſus protulerat, ſed in his locis, quę treis alios diuinorum eloquiorũ proprios latura fuerat ſuperædificabat, Græciſꝙ; & Hebræis exemplaribus noſtrorum codicũ diſcordes ſentẽtias

conferebat, Sed hoc potissimum in eius mente consitum fuit, hoc de uniuersis propositisq́ in commentandi genere conceperat, altius insedit, ut aliorum dogmata non abduceret, utpote quæ iam haberentur, legerentur, noscerentur, sed sua prorsus inuenta, & meditata disceret, ut proprijs non alienis facultatibus famelicas ueritatis aīas pro uirili saturaret. Posthęc hebraico idiomate pollens, de ueritate translationis Hieronymi aduersus Hebręorum calumnias libellum edidit. Nec non defensionem pro septuaginta interpretibus, quantum ad Psalmos attinet, aduersus eosdem. libellum item de uera temporum supputatione conscripsit. Qui enim nec Christo, nec illius paret ecclesiæ, & quod est subsequens eius est hostis, aut impius existens nullum recipit credendum dogma, siue falsis inseruit idolis, subque hisce simulachris dæmones adorat, seu Mosaicam perditissimorum iudæorum ritu, legem colit, Nefandumue Mahometem sequitur detestandis illius placitis mancipatus, Aut Christianū auditu tantum nō operibus & mente syncera uitam uiuens, euangelica documenta peruertit, catholicæ que ecclesiæ non consentiens, obstinato corde recalcitrat, uel non casta fide, sed uarijs adulterata prophanataque superstitionibus, Euangelica suscipit, Aut licet solida nitidaque ac constanti fide receperit, operibus aduersatur, Hos itaque septem quasi duces, sub quibus reliqui uelut gregarij continentur, proprijs eorū armis conflicturus, ad cōgressum citauerat. Aduersus impios philosopos, qui nullo religionis iugo colla depressi, nullique addicti numini naturales tantum rationes adorant, eisdem rationibus dimicabant. Veteris testamenti sententijs, proprijsque Iudaicę scholæ authoramentis ualidissime contra Hebræos præliabatur. Cū Mahumetanis, Alcorano nixus, pedem contulerat. Idolorum cultores & multis uulneribus & ui non multa prostrauerat, superstitionibus uanis irretitos, eos præsertim, qui diuinatricem colunt Astrologiam, & ueræ philosophiæ & peculiaribus rationibus astrologorum acriter taxauerat. Duodecim iam libris, & quidem absolutissimis ex tredecim ad hoc destinatis eorum deliria insectatus fuerat. Demum hydromantiam, geomantiam, pyromantiam, haruspicinam, & cætara id genus inania sigillatim explodere

re destinarat. Sed in prophetantes astrologos cuneum ex professo direxerat, totisque uiribus arietem temperauerat, quando eorum dogmatis futilibus quidem & nullius momenti superstitiones cæteræ suis erroribus fulcimenta aucupentur, uel inspectæ Geneseos momenta trutinantes, uel in eligendis horis, aut hexagonos, aut trigonos aspectus quos benignos uocant, conciliantes, & eiusmodi reliqua, quibus nec insanus Orestes accederet. Nec contentus Astrologiam omnem funditus euertisse, ut ostenderet nostri temporis astrologis, græce potissimum linguæ ignaris, uanissimum omnium professionum Astrologiam, peruersis trãslationibus uaniorē si dici potest effectam. Ptolomæi fructus quos centiloquium uulgo nuncupant, inter scribendum aduersus eosdem quasi aliud agens ē græco in latinum sermonem uertit, & elegantissima expositione honestauit, quo in libro plura (ut ita dixerim) errata, quàm uerba uulgata illa translatione contineri demõstrat, quam tamen semper in arcanis uelutí preciosum thesaurum custodierunt eiusdem cultores ignaui. De Christi fide perperam sentientes, nec matris ecclesię parentes imperio, quos usitatiori uocabulo nominamus hæreticos, & nouo instrumento, & rationibus egregia obiurgatione incesserat. nonaginta fere hæreses in propatulo habentur. Verum ille cuncta rimatus ducentas inuenit, quos sigillatim non modo eliminare & profligare proposuerat, sed & pariter docere, qua ex parte philosophiæ non rite percepta suos errores traxissent aut fundassent. In Christianos postremo qm̃ fides sine operibus uilitur, uehementer inuectus fuerat, nec non diligenter explorauerat, qui fieri posset, ut ignem in meditulio terræ constitutum homines credant, quo perpetuo datura sunt pœnas damnatorum corpora, cæteraq; id genus tam animæ quàm corporis excogitata supplicia. Immensa quoque deitatis uisæ gaudia, quibus animæ corporibus iunctæ beantur, atqui dictis ecclesiæ, quæ ad credendum compellunt obaudientes non sint, & nihilominus passim debachentur in uicia, diuitijsque incũbant cumulãdis, nihilque minus formidetur ab eis, quàm pœnę, aut effectetur, quàm regnum dei. pro morborum qualitate idoneam opem admouere tentabat, tetros scilicet morbos, & suapte

natura impuros acribus acerbisque medicaminibus inurere, ea uero uulnera quæ minori infecta malicia,deprauataque forent, cicatricẽque obducere desyderarent, lenibus placabilibusque fouere,adeptis uero ualetudinem,& recidiua metuentibus,saluberrimas potiones, celebrataque antidota præparare. Multa alia opera fuerat exorsus,quibus sperari poterat futurum, ut philosophiæ studia in uniuersum eliminatis erroribus, explosaque barbarie reflorerent. Inter hæc potissimum Platonis & Aristotelis numerabatur concordia,quã iam cœptã breui perfecturus erat, si uita comes paucis adhuc annis superfuisset. Ita enim philosophiam ab incunabulis lactando nutriuerat, & adusque nostra tempora perduxerat adultam,ut nostræ tempestatis philosopho nil amplius aut in græcis aut in latinis aut in barbaris codicibus desyderandum esset.Citasset udum Thahetem, ignitum Heraclitum, circumfusumq; atomis Democritum. Orpheus item & Pythagoras,priscique alij eius ope & gratia in academiam conuenissent. Postremo philosophiæ princeps Plato scilicet fabularum uelamẽtis,mathematicisq; inuolucris constipatus,& Aristoteles uallatus motibus dextra data,fidem futuræ amicicię sanxisset.Inter Auerroim quoque & Auicennam.Inter Thomam & Scotum, qui tã diu conflictauerant,si non pacem in uniuersum, in multis tamen impetrasset inducias,quando in eorum pluribus controuersijs, si quispiam dissidentia uerba rimetur attentius & exactius libret, scrupulosiusque uestigans cutem deferens,introrsum ad imas latebras profundaque penetralia mente peruadat, unionem sensuum in disseparatis pugnantibusque uerbis citra ambiguitatem comperiet.Neotericorum turba partim pro meritis partim pro culpis & honorata fuisset & taxata. Totus igitur Deo dicatus ecclesiam quibus poterat armis defendebat, atque latitantem (ut aiunt) é Democriti puteo ueritatem educebat & ignorantiæ gramen inexpugnabile,quo multorum mentes præforantur,subnascentesque perniciosas herbas abrumpebat penitus & deruncabat. Sed mors adueniens tot tantarumque uigiliarum laborem & excultæ lucubrationis partum inanem fere reddidit. Hocque potissimum fuit in caussa, ut plurimas, quanquam magna ex

parte exasciatas & dedolatas, imperfectas commentationes dereliquerit, quod scilicet sibi ipsi tantum, non autem nobis scribebat, Nam sicut celeri in commentando ingenio, ita ueloci in scribendo manu fuit. Et cum antea pulcherrimos literarum characteres deliniaret, factum erat, ut ex usu nimiæ in commentando uelocitatis, uix eorum quæ exarabat capax existeret. Huc etiam & illuc scribere solitus erat, uetusta interdum superuenientibus nouis obliterans, ea propter exoleta quædam & dispuncta reperi, quædam saltim & uellicatim exarata, omnia deniq; adeo confusa & inordinata, ut syluæ aut farragines putarentur, Ex libro septemplici quem aduersus hostes ecclesię prætitulauerat, pars illa quę diuinaculos Astrologos genethliacosq; potissimum insectatur, ab incude (ut dici solet) ad limam perducta fuit, quam non paruo tamen labore, nec mediocri cura ab exemplari liturato & pene discerpto deprompsimus, quo in opere summum theologū summū oratorem, acerrimum Christi ecclesiæ propugnatorem, incomparabili præditum ingenio, quod in cunctis ipsius commentationibus cernitur, se demonstrat. Quædam item minutula non tornata adhuc apud me comperi. Interpretationem dumtaxat dominicæ orationis, Regulasque bene uiuendi circiter L. breues profecto nimis & inexplicitas, quas in multa capita si uixisset deducturus omnino fuerat. Duas quoque ad Deum deprecatorias, quarum unam rhitmis Hetruscis, elegiaco metro alteram, qua grauioribus defatigatum quandoque studijs animum cantando ad lyram mulcere posset, composuerat. Primis enim adolescentiæ annis genus omne musicæ artis adeo excoluerat, ut excogitata per ipsum modulamina, notatæque debitis concentibus harmoniæ celebres haberentur. Plurima quoque in eius scrinijs, quanquam inordinata peruidimus, ex quibus tamen utile aliquid præsertim psalmorum enarrationem compilari posse putauerim. Sed & epistolæ circiter L. diuersis æditæ temporibus, tum familiares, tum doctrinales, tum hortatoræ emersere, una cum oratione, quam Romæ, si disputare contigisset, habiturus fuerat, quæ non tam iuuenis quartum & uigesimum annum nondum nati perspicacissimum ingenium, atque doctrinam ubertimam

redo

redolet(& quod cunctæ ipsius scriptiones faciunt) quàm fertilissimæ ipsius eloquentiæ locupletissimum nobis testimonium præbet. Stilo quidem ualde probando usus est semper non ascito, sed ingenuo, multiformi etiam, pro rerum uarietate, qui & si totum, ut aiunt, Isocratis Myrothecion consumpserit, mundiciæ tamen & decoræ maiestatis ornamenta seruauit. Nam & celebrata illa dicendi genera, quorum tria Gellius, Macrobius quatuor enarrat, ex commentationibus ipsius, nec impendio colliguntur, ibi copiosum, in quo Cicero dominari fertur, breue quod Salustio adscribitur, siccum Frontoni datum, pingue & floridum, in quo Plinium & Symmachum lasciuisse prodiderunt. At forte copiam hanc Brutus non uocasset elumbem, nec Salustius immoderatã, Siccitatem quoque Frontonis humectatam, Salustij breuitatẽ elongatam. Floridam pinguedinem Plinij latiori in campo deportatam, non difficile recto iudicio orator deprehendet. Adde his Liuij lacteum fontem forte sine patauitate (ut ille inquit) adiectis flosculis Apuleij, Verum non hic in mutuata à grecis philosophia se exercuit, non in Atticis noctibus, non in fictis saturnalibus ad laudandum prope Virgilij Aeneidum fabricatis, non in Romana historia, non in mera historia naturæ altissimis difficilibusque Speculatibus uacua. sed in admiranda illa mundi fabrica, in incessendis sacrosanctæ catholicæ ecclesiæ hostibus desudauit, in eliminandis Astrologis fatigatus est, In theologicis quæstionibus excutiendis, in Aristotelis & Platonis concordia laborauit, in enarranda sacra eloquia incubuit, in commonendis & adhortãdis amicis nauauit operam. Verum hanc, de qua agimus, eloquentiam tantum aberat, ut affectaret, ut eos potius damnaret, qui p gmenta lenociniaque scrupulosius exquirentes, omnes ingenij uires in uestigandis uocabulorum originibus accommodabant, Quæ omnia plurimos eo propensius in eius admirationem conuertere, quod inter eorum literas diu, & propensissime uersatus esset, qui latinas literas eloquentiæ floribus refertas, non sunt professi. Patiantur hæc æquo animo nimij antiquitatis amatores, nam hæc ipsi concisius compendiosiusque, tamen eo forte uerius, quo me doctiores & Hermolaus Barbarus, & Baptista Carmelita, &

Mar

Marsilius Ficinus, & Mathaeus Bossus, & plerique alij doctissimi & eloquentissimi uiri prodidere. Bibliothecas amplas tam Latinorum quàm Graecorum incredibili celeritate & perlegit & excerpsit. Nullasque, si modo facultas data, commentationes illectas praeterijt. De priscis ecclesiae doctoribus tantum cognitionis adeptus fuerat, quantum credere difficile est, etiam in eo qui in ipsis solum euoluendis totum uitae tempus consumpsisset. De neotericis uero theologis, qui eo stilo sunt usi quem Parisiensem uulgo nuncupant, tantum iudicij apud eum residebat, ut si quis ex improuiso abstrusam illorum cuiuspiam, maleque explicitam quaestionem enucleandam petijsset, tanta ingenij fertilitate adaperiebat, tanta solertia reserabat, ut diceres doctoris illius uniuersa dicta prae oculis & in numerato habuisse, cunctasque pari modo familias agnouerat, cunctas schedas excusserat, nec uni illorum sic addictum credas (qui nostris hominibus mos est) ut caeteros asper naretur. Ipse enim à teneris sic institutus fuit, sic animatus, ut in illis ueritatem quaereret, parique honore quousque illa elucesceret inuenta, quoscunque ueneraretur priuata affectione nudatus quid tamen de singulis sentiret, qui in uniuersum famosiores habentur, in apologiae prohoemio, cum de Barbaris, Graecis Latinisque philosophis proprietates peculiaresque laudes retulerit, uidere datur, Thomam uero Aquinatem, quando inter loquendũ de his philosophis theologisue, qui Gallico more disceptãdo scripsere, mentio fieret, prae omnibus laudare consueuerat, utpote solidiori prae alijs ueritatis basi nitentem. Eum quoque in heptaplo nostrae theologiae splendorem nominat. De hoc percontatus creberrime & à me ipso, idem respondit. Nec oppositum suadere cuiquam debent nonnulla quae in eius apologetico continentur disputanda, alioquin Thomae opinionibus ex professo aduersantia cum iuuenis admodum esset, gloriaeque tunc cupidus in urbe celebratissima Gorgiae Leontini more quascunque tutando parteis famam aucuparetur. Adde quòd ex decem millibus propositionum, tribus tãtum aut quatuor non consentire uidetur, sed & aduersarij id non conuincunt. Disceptandi peritissimus fuit, frequentemque & impensissimam operam literarijs agonibus dum

Stilus Parisiensis.

ferueret animus impendit. Eo obiectante facile Scoti acumen & uigilantiam, Fräcisci acrimoniam, copiam & multitudinem Aureoli, deprehendere potuisses, nec deesse nodos illos multiplicibus flexionibus complicitos, nec tam titillantibus argutijs quàm grauitate subnixos. Eo respondente Thomæ fortitudinem & robur, Alberti amplitudinem conspexisses. Verum his cõflictibus nuncium pridem remiserat, & magis atque magis id muneris in dies perosus fuerat, adeoque detrectabat, ut Herculi Estensi Ferrariensium Duci, & internuncijs & se ipso enixissime postulanti, ut dum Prædicatorum fratrum Synodus Ferrariæ celebraretur, disceptare non ægreferret, diu obsequi reluctatus fuerit, multis tamen rogatibus annuens principi illi cuius amor in ipsum nõ mediocris extiterat, morem gessit. Vnde datum est ambigi solertiorne an eloquentior, doctior an humanior appareret. Ex ore quidem disceptantis talis semper animi patebat alacritas, ut de re comi & placida potius, quàm subacida & difficili altercari uideretur. Quapropter qui ab ore pendebant audientes, in mirum eius amorem excitabantur. Sed frequens ei adagium inerat, munus id esse dialectici, non philosophi. Aiebat item eas disputationes prodesse, quæ placido animo ad uestigandam perquirendamque ueritatem priuatis in locis, semotisque arbitris exercebantur. At illas obesse plurimum, quæ in propatulo fiebant, ad ostendẽdam doctrinam uel ad captandam uulgi auram, atque imperitorum applausum. Vixque posse fieri omnino censebat, ut honoris cupidini, qua frontiuagi illi disputatores exagitantur, inseparabili uinculo annexum non sit illius cum quo disputatur desyderium infamiæ confusionisque, lætale uulnus animæ, uenenumque charitatis mortiferum. latuit eum nihil omnino, quod pertineret ad captiunculas, cauillaq; sophistarum & suiseticas quisquilias, quę calculationes uocantur, hæ mathematicæ commentatioues sunt, subtilioribusne dixerim an morosioribus excogitationibus naturalibus applicatæ, Verum etsi in eis esset eruditus, ac eiusmodi scriptiones legisset, quas forte ad plenum non nouit, Italia (nulla enim tam inuia & inaccessa literarum reperiri poterant, quæ illius uestigio lustrata abunde explorataque non essent) odisse tamen

Prædicatorum synodus Ferra.

Disputationes quæ prosunt.

Frontiuagi disputatores.

men & detestari usum animaduertens ad sociorum parandam in famiã labefactandamq̃ in replicando memoriam, ueritati uero inueniendæ, cui indefessam operam nauandã arbitrabatur, aut nihil aut parum conducere. Sed ne plura consecter lectoremq̃ detineam, comprehendam breui. Enituit aliquis eloquentia, sed in scitia rerũ naturæ secretarũ dehonestatus est. Alius peregrinas linguas, sed uniuersa philosophorum decreta non calluit. Priscorũ alius inuenta perlegit, non noua dogmata concinnauit. Scientiæ ab altero hoı̃m tantum & humanæ gloriæ caussa, non Christianæ Reip. emolumẽto, & diuinę & humanæ quæsitæ sunt. Ille uero cũcta hęc pari studio ita cõplexus fuerat, ut turmatim & coaceruatim in eum confluxisse uiderentur, nec ut multi qui nõ aliquo uno excellentes, oı̃m participes sunt, sed in oı̃bus usqueadeo profecerat scientijs, ut quãlibet ex his in ipso consyderasses, eam sibi propriã & peculiarẽ elegisse iudicauisses. Hæc quoque eo admirabiliora erant, cũ ã se ipso ui ingenij, & ueritatis amore quasi absq̃ præceptore assecutus esset, ut quasi de se ipso, illud quod de se dicebat Epicurus, possimus ꝓferre: se sibi ipsum scilicet fuisse magistrum. Ad quos mirabiles effectus tã paruo temporis spacio producendos, quinq̃ ego caussas cõuenisse reperi, incredibile ingenium, tenacissimam memoriã, facultates amplas, quibus ad coemendos tum nostræ, tũ gręcæ tum barbaræ linguæ libros, adiutus est. Septẽ quippe aureorum nummũ millia retulisse mihi memoria repeto, in asciscendis sibi usq̃ ad diem illam oı̃fariæ literaturæ uoluminibus erogasse, iuge & infatigabile studium, contẽptionem postremo terrenarũ rerum. Hunc igitur si prisca illa ætas Laconum tempore protulisset, si Arist. credimus, diuinum illum uirum appellauisset. Sed uirtutes intellectus iam (ut arbitror) relinquendę uidentur, & nunc præclaræ eius animæ partes, quæ actiones spectant, prosequendæ, exactissimique mores in publicum educendi sunt, ut flãmatus ipsius in Deum animus innotescat, ut erogatæ in egenos diuitię collaudentur, ut his qui tandẽ diuinæ legi sunt addicti, referendi gratias in bonorum omnium authorẽ quàm cumulatissime paretur occasio. Triennio igitur priusq̃ diem obiret, ut posthabitis dominandi curis in alta pace

degere posset, securus quo sceptra caderent, cuncta patrimonia quæ Mirandulæ Cõcordiæque possidebat, hoc est, tertiam partem earum, mihi nescio an dono an uenditione tradidit, quod factum postea Maximilianus Augustus, qui nobis est rex & dominus, ut ita dixerim immediatus (neque enim aliũ tot sæculis, quot est exædificata Mirandula atque Cõcordia, nisi qui successiue in regali imperialique Romanorum throno consyderet, recognouimus) Cæsarea liberalitate firmauit. Quicquid autem ex hoc negocio pecuniarũ acceperat, partim pauperibus elargitus est, partim in emendis agris, unde & ipse, & eius familiares alerentur exposuit, nominatimque Corbulas in agro Ferrariensi multis aureorum millibus nummum sibi comparauerat. Multa itidem uasa argentea, preciosasq; supellectilis partes in pauperum usus distribuit. Mensa mediocri contentus fuit, retinente tamen nonnihil lautitiæ prioris, quantum ad fercula & ad uasa argentea pertineret. Diebus singulis preces ad Deum suis horis effundebat. Pauperibus semper si qui occurrerant pecunias tribuebat, nec eo contentus, Hieronymo Beneuenio ciui Florentino literato homini, quem pro magna in ipsum charitate proque morum integritate dilexit plurimum, demãdauerat, ut proprijs pecunijs semper subueniret egenis, Nuptum quoque uirgines traderet, eiq; statim ut erogatos nummos quamprimum restituere posset renunciaret. Id enim muneris ei delegauerat, quo facilius ueluti fido internuncio pauperum ciuium calamitates & miserias, quæ ipsum latuissent releuare quiret. Dedit & sæpius (quod silentio prætereundũ non puto) de corpore proprio elemosynas. Scimus plerosque (ut uerbis utar Hieronymi) porrexisse egentibus manum, sed carnis uoluptate, & illecebris superatos. At ipse propriã carnem diebus illis potissimum, qui Christi cruciatum & mortem nostræ salutis gratia repræsentant, in summi illius beneficij memoriam, delictorumque expiationem cædebat, meisque oculis sæpius (cuncta in Dei gloriam redeant) flagellatum uidi. Vultu hilari semper erat & placido, adeoque miti natura, ut nunquam se fuisse turbatum multis etiam audientibus testatus sit. Recolo mihi inter loquendum dixisse, in nullum euentum (ut res pessime cederent)

Pici Romanum imperatorẽ Dominũ agnoscum.

Corbulæ.

ira commouere posse credere, nisi scrinia quædam deperirent, quibus elucubrationes eius & uigiliç reconditæ stipabantur. Sed cum animaduerteret pro Deo optimo maximo eiusque ecclesia laborare, eijsdemq; omnia opera, studia, actionesque dedicauisse & id fieri minime posse, nisi aut eo iubente, aut permittente, confidebat se non contristatum iri. O felicem mentem, quæ iam nullis posset aduersis deprimi, nullis quoque commodis (ut palam fiet) extolli. Non illum certe uniuersæ philosophiæ peritia, non Hebreæ, non Chaldeæ, Arabicæq; linguæ, ultra Latinam & Grecam cognitio tumidum reddiderant, non etiam amplæ diuitiæ, non generis nobilitas inflauerant, nō corporis pulchritudo & elegantia, non magna peccandi licentia in mollem illum & spaciosam multorum uiam reuocare poterant. Quid igitur poterat esse tam admirabile, quod illius quiret mentem peruertere? Quid unquam supra illum esse poterat, qui (ut uerbis Senecæ utar) supra fortunam erat? Cum illam siue secundis flat bus tumidam, siue aduersis reflatibus humilem aliquando contempserit, ut eius mens Christo & supernæ patriæ ciuibus spiritali glutiuo copularetur, quod uel hoc argumento liquidò percipitur, quòd dum ecclesiæ officia & dignitates à plerisque nostri temporis (proh dolor) licitatas auctionatasque, non paucos uideret expetere, flagitare, suspirare, enixissime mercari, ipse à duobus regibus per internuncios oblatas, testes adsunt grauissimi, testis ego, se sacris initiari nolle respondens, repudiauit. Alter uero quidem cum sæculi dignitates, & amplos reditus se daturum spopondisset, si regem eius adiret, conspicatus angulum non relinqui, in quem se conderet, ademptaq; esse cuncta suffugia, tale illi dedit responsum, ut intelligeret se non dignitates aut diuicias expetere, sed potius, ut Deo & studijs uacare posset, illas neglexisse. Ferrariæ quoque cum ex amicis quidam Pandulphç Collinutio Pisaurensi iurisconsulto perspicacis ingenij uiro & multifariæ lectionis, quo amico familiarissime utebatur, suasissent, ut eum abduceret quibuscunq; rationibus posset, ad Cardinalatus dignitatem petendam, uel certe si eam Pontifex offerret (quod multis futurum uidebatur) amplectendam, idq; Pandulphus subhæsitans pertentasset, quippe qui

Picus quas linguas calluerit.

Sacris initiari noluit Picus.

non ignarus esset, omnia illum malle, quàm huiusmodi honoribus commisceri, ipse qua erat animi magnitudine respõderi protinus propheticum illud per epistolam iussit. Non sunt cogitationes meæ cogitationes uestræ: contemplans forte de bonis ecclesię quorum pars maxima pauperibus hæreditario iure debetur, magnificos ducere apparatus non oportere. Sanctissimorum item hominum exempla ante oculos posita, Ambrosij scilicet Augustini, Martini, cæterorum qui episcopatus dignitatem effugerũt, diuq; id muneris antequam obirent detrectauerunt. Quid quod & non modo ab Cardinalatu ipso, sed & ab suprema summi pontificij potestate sanctissimum Cœlestinum se abdicasse legerat, ipsumque totius reipublicæ humeris onus excussisse, onus uere eum subeuntibus maximum paretur præmium inuitis scilicet, & parendi tantum iuuandique gratia illud amplectentibus, persuasissimum erat, uiro philosopho non esse laudis cumulasse diuitias, non quæsisse honores, sed renuisse. Et umbratilem renuendo gloriam ueram adipisci, quæ semper uirtutes ceu comes indiuidua & assecla comitatur. Humanam gloriam uel pro nihilo habebat. Aiebatque sæpius, famam uiuis nonnihil, mortuis mini mè profuturam, tantumque propriam æstimasse doctrinam agnouimus, quantum utilitati ecclesiæ, & eliminandis explodendisque aduersis erroribus conduceret. Quin etiam ad eam perfectionis metam peruenisse percepimus, ut scilicet parum curaret, si eius commentationes non sub proprio nomine publicitus ederentur, dum tamen idipsum quod sub Pici nomine facturæ fuerant, afferrent hominibus emolumenti, nimiumque alijs amplius affici libris, præterquam ueteri nouoque testamento, ætatisque residuum in eis semper uoluendis consumere statuisse, nisi publica eum stimularet utilitas, cum uideret tot ac tanta quæ conceperat, & parturierat passim ab omnibus non efflagitari modo, sed & immatura exigi, Minutulumq; quantuluncunque deuoti uel seniculi uel aniculæ affectum in Deum, pluris quàm omnem eius humanarum diuinarumque rerum notitiam faciebat. Admonebat que sæpissimæ familiares inter loquendum, ut animaduerterent quantum laborent nutentque mortalia, quamque caducum & fluxa

Responsio ad oblatum Cardinalatum.

Gloriæ contemptus.

fluxum,quod uiuimus,quàm firmum & stabile, quod sumus futuri, Siue scilicet detrudamur ad inferos,siue subleuemur ad coelos,hortabaturque ut ad Deum amandum conuerterent & incitarent mentes,quod opus præponderaret cuicunque, quam in hac uita habere possemus cognitione, hoc etiam in libello ipso de Ente & Vno luculentissime est executus, quando ad Angelum Politianum,cui librum nuncupauit in ipsa disputatione conuersus,hæc uerba effatus fuerit: Sed uide mi Angele, quæ nos insania teneat,Amare Deum dum sumus in corpore plus possumns, quàm uel eloqui uel cognoscere,amando plus nobis proficimus, minus laboramus,illi magis obsequimur, malumus tamen semper per cognitionem nunquam inuenire quod quærimus, quàm amando possidere,id quod non amando,frustra etiam inueniretur. Illud quoque Diui Francisci: tantum scit homo, quantum operatur. Illius in ore frequens liberalitas fuerat. Cæterum liberalitas sola in eo modum excessit,tantumque aberat,ut aliquid curę terrenis rebus apponeret,ut etiam incuriositatis neuo macularetur ab amicis quoque sæpius admonitum comperimus, ut in totum diuicias non contemneret,asseuerantibus id sibi probro dari, cum uulgatum foret,siue id uerum siue falsum, furti dispensatoribus præbuisse occasionem, nihileminus mens illa quæ semper contemplandis perscrutandisque totius naturæ consilijs inhærerebat,demittere se facile non poterat, ad hæc infima abiectaque pensiculanda. Memini cum Ferrariæ cum eo obuersarer, opsonatorem pagella quadam oblata expensarum approbationē expetere,quo uiso mirabundus extiti,percūctatusq; illum mentēne ad id quod retroactis temporibus neglexerat,apposuisset,respondit familiares non modo ab eo efflagitasse,sed exegisse, ut id subiret officij,quibus ut morem gereret factitauerat, tantum uero curæ,quantum prius habuisse.Quine iā dum eius dispensator primarius eum interpellasset, ut eius pecuniarum quas per multos annos cōtractauerat dispunctionē fieri iuberet,quo securius mēti suæ consuleret,atque eiusmodi libros coram attulisset, talia eidem uerba respondisse percepimus. Scio me q̄ sæpissime abs te & potuisse,& posse fraudari,quapropter libratione expensarum

harum

harum opus non est, si tibi debeo, quamprimum nūmos exoluā, si mihi debes uel in præsentia si potes, uel in posterum si non adest facultas, debita solue. Amicos uero semper multa indulgentia tractauit, quibus cum hortatorijs ad bene uiuendum locutionib. uti solebat. Hominem noui qui dum eius doctrina fretus & fama secum loqueretur, & haberetur sermo de moribus, duobus tantum ipsius uerbis commotum, ut uia uiciorum deserta mores reformauerit, Verba fuerunt eiusmodi. Si Christi mortem nostri amore perpessam præ oculis haberemus, propriam quoque identidem cogitando, caueremus à uicijs. Modestiam & comitatem

Modestia.

in eos admirabilem exhibuit, quos non à uiribus aut fortuna probatos sibi deuinciendos duxerat, sed à moribus & doctrina. Eos tamen qui quantulumcunque pollerent literis, uel saltem bonarum artium studijs, nauos aptosque inspiceret, diligere consueuerat. Similitudo nanque amoris est caussa, & erga sapientem uirum, ut teste Philostrato, Apollonius inquit, affinitas quędā est. Scientiam quoq; perficere hominem, qua homo est, perfecta uero bonitatem consequi super aliosque probos esse diligendos non ambigitur. Cæterum nihil illi intollerabilius quàm (ut uerbis Horatij utar) superba ciuium potentiorum limina. Militiam quoque seculi & coniugale uinculum perosus fuerat. Interrogatusque inter iocandum, quid ei ad alterum subeundum onus ferēdumque & necessitate cogente, & optione data, leuius uideretur. hæsitabundus aliquantulum, nutabundusque, nec non pauxillū subridens, coniugium, respondit, cui non tantum esset & seruitutis annexum, & periculi, quantum militiæ, libertatem enim supra modum dilexerat, quam & natura sic affecta, & philosophiæ studia suggesserant. Vagumque ob id plurimum extitisse illum autumo, nec propriam sibi unquam sedem delegisse, licet Florentiæ sæpius, & Ferrariæ quandoque commoraretur, quarum alteram ciuitatem sibi quasi domicilium præstituisse putauerim, quod scilicet in ea post Bononiam primum literarum studia coluerat, illi usque princeps eum mirifice diligeret, quadamque ueluti affinitate coniunctus, utpote ex cuius ego sorore scilicet Blācha Maria Estensi natus sim, nec etiam longe nimis esset à patria, quando

Militiæ & cōiugij cōparatio.

do triginta tantum passuum millibus ab Mirandula orientem so lem uersus Ferraria distet. Alteram siue aëris amœnitate, siue plurimum amicorum suauitate, siue ingeniorum subtilitate dilexit plurimum, & incoluit, quos inter literario amore duos sibi potissimum deuinxit. Angelum scilicet Politianum, uirum græcelatineque doctissimum, nec non uariarum literarum floribus refertum, ac prope uindicem Romanæ linguæ. Alterum Marsilium Ficinum Florentinum hominem omnifaria literatura redolentem. Sed maximum ex his qui nunc uiuunt Platonicum, cuius opera in Academicis sibi uendicādis usus fuerat. Exterioris latriæ cultus non multum diligens fuerat, non de eo loquimur, quem obseruandum præcipit ecclesia (gestasse hunc quippe præ oculis uidimus) sed de his ceremonijs mentionem facimus, quas non nulli posthabito uero cultu Dei, qui in spiritu & ueritate colendus est, prosequuntur & prouehūt. At internis affectibus feruentissimo Deum amore prosequebatur. Interdum etiam alacritas illa animi propemodum elanguescebat & decidebat. Maiori quādoque nixu uires assumens adeoque in Deum exarsisse illum memini, ut cum Ferrariæ in pomario quodam de Christi amore colloquentes longis spaciaremur ambulacris, in eiusmodi uerba proruperit. Tibi hæc dixerim in arcanis recondito. Opes quæ mihi reliquæ sunt, absolutis consummatisque elucubrationibus quibusdam, egenis elargiar, & crucifixo munitus, excertis nudatisq; pedibus orbem peragrans, per castella, per urbes Christum prædicabo. Accepi postea illum mutauisse propositum, & Prædicatorū ordini se addicere statuisse, interim eorum quæ conceperat operum, quæque inchoauerat maturabat editionē, Sed m.ccccxciiij. anno redemptionis nostræ, dum ipse secundum & trigesimum ætatis annum impleret, Florentiæque moraretur, insidiosissima correptus est febre, quæ adeo in humores & uiscera grassata est, ut nullum non medicamentorum genus adhibitum contempserit, eumque omnino naturæ satisfacere intra tertium decimum diem coëgerit. Sed quemadmodum in infirmitate se gesserit, licet eo tempoue ab eo procul essem, narrare tamen non desinam, quæ ab grauissimis testibus qui aderant acceperim. Quale illud cum Mors Picij

post sumptum Eucharistiæ sacramentum, sigillum ... cruci fixi Christi offerretur, ut inde plenos amoris haustus ob ineffabilis illius passionis nostræ salutis gratia memoriam, priusquam exhalaret animam, sumere posset, fortissimum dumtaxat aduersum quæcunque aduersa munimen, ualidissimumque contra iniquos dæmones propugnaculum. Interrogantique mox seniori. An firmiter crederet, ueram esse illam Dei ueri, uerique hominis imaginem, qui qua Deus est ante tēpus & æuum ab ipso patre Deo, cui æqualis in omnibus genitus esset, deque Spiritu sancto, qui & Deus est, ab ipsoque & patre, quæ tria unum sunt, coæterne manente in utero Mariæ semper uirginis, conceptus esset in tempore, qui famem, qui sitim, qui labores, qui æstus, uigilias perpessus esset, qui denique contractis ab Adæ semine sordibus nostris abluendis, proque reseranda ianua cœli, maxima qua genus humanum charitate complectebatur, preciosissimum sanguinem & sponte & libentissime in ara crucis effudisset, cæteraque id genus recenseri quandoque solita, Non modo se credere, sed & certum esse responderit, & item illud cum Alberto Pio sororis filio, quē nominauimus inter huius uitæ initia, iuueni & ingenio & bonarum artium studijs, & moribus conspicuo eadem ratione, qua Alexander ex Aphrodisiade. & Themistius in auscultatoriorū librorum procemio fortitudinem ē Physicis contemplationibus sumi contra mortis metum declarauit, quam mox sententiam usurpauit Auerrois, conanti inquam Alberto mortis cōfinia reddere placabiliora, in hunc modum uerba reddiderit. Non illa dūtaxat ratione pacari animum, non finem mortis cruciatibus poni, sed hac potissimum, quòd Dei sui offensis terminus iam poneretur, quando breuiusculum uitæ eius tempus crebriores in Deum offensas non contenturum arbitraretur, & illud præterea, quando pluribus ex Prædicatorum collegio probatissimis testibus, & Alberto ipso paulo ante citato reuelauerit, Cœli reginam ad se nocte aduentasse miro fragrantem odore, membraque omnia febre illa contusa contractaque refouisse, seque morti omnino non concessurum promisisse. Hilari placidoque ore instrato, dum ægrotaret, iacuisse compertum est. Atque inter mortis acu

leos

leos, quos sustinebat, quasi coelos sibi patefactos cerneret loqui solitum, salutantesque omnes & operam suam, ut moris est, pollicentes blandissimo ab eo sermone, & receptos, & exosculatos, ab seruis idem omnibus, si cui molestus forte fuisset, ignosci sibi postulasse, certiores facti sumus. Quibus anteacto anno testamento cauerat, Victum alijs & tegumentum, dum uiuerent, alijs pecuni as pro meritis erogari. Hæredes Florentini Xenodochei paupe res instituit, eorum dumtaxat, quæ moueri non poterant. Mobilium uero Antonium Mariam fratrem. Quanta uero molestia eius obitus infimos & summos oĩm gradus affecerit, testes sunt Italiæ principes, urbes & populi. Testes hi reges, quos supra citauimus, Testis iterũ Caroli Galliarũ regis benignitas, & gratia silẽtio non prætereunda. Cui cum Florentiã aduentãti, ut inde Romã peteret, Neapolitanum regnum expugnaturus, graui eum laborare ęgritudine nunciatũ fuisset, duos statim medicos ad eũ legatorũ etiamnum fungentes officio, uisitatum & opitulatũ ipse trãsmiserit, literasq; quas & uidimus & legimus propria subscriptas manu dedit, plenas & humanitatis & earũ pollicitationũ, quas & magnanimi regis beniuolentissimus animus, & præclaræ uirtutes ægrotantis exigebant. Enimuero qui eũ dum uixit toti orbi & multis sæculis admirandum præstitit, ita eius obitum nõ minus celebrem, & inauditum celebrari decreuit, quo circa ea in presentiarũ referenda puto, quæ meis auribus hausi, dũ Florentiæ q̃ illius infirmitate percepta, licet non tempestiue, me contulerã, in æde sacra, quæ sanctę Reperatæ dicitur, Hieronymũ Sauanoro'ã Ferrariensem ex Prædicatorũ ordine, uirum & theologiæ consultissimũ, famatissimumq; sanctimonia, sacras habentem ad Florentinum populum conciones, audirem. Sed prius sacrarum literarũ ignaros, Apuleij uerbis, admonere consilium est, ne crassis auribus, & obstinato corde, ea putent mendacia, quę auditu noua, uel uisu rudia, uel supra captum cogitationis ardua uideantur, quæ si paulo altius explorauerint non modo compertu euidentia, uerum etiã factu facillima sentiẽt. Is igitur è pulpito declamitãs, quę sum dicturus cunctis qui aderant insinuauit, sic orsus: Neminem porro uestrum puto fuisse, qui Ioannem Picum Mirandulam

non nouerit,magnis ille à Deo beneficijs,magnis gratijs cumulatus,multifariaque præditus disciplina fuerat,nulli forte mortalium tam celebre obtigit ingenium.Magnam in eo iacturam fecit ecclesia. Arbitrarer si diutius ei uitę spacium prorogatum fuisset, cūctos qui octingentis abhinc annis decessere,ob scriptionū monumenta quæ reliquisset excelluisse. Hic mecum obuersari solitus erat secreta palam facere,ex quibus noueram internis eum locutionibus adeo ad religionem citari, unde afflatibus hisce obsequi cupiens,non semel obtemperare proposuerat. Verum diuinis beneficijs male gratus,uel ab sensibus euocatus,detrectabat labores(delicatæ quippe temperaturæ fuerat)uel arbitratus, eius opera religionem indigere,differebat ad tempus,hoc tamen non ut uerum,sed ut à me coniectatum,& pręsumptum dixerim.Ob id duobus ei annis flagellum interminatus sum, si opus, quod ei Deus patrandum proposuerat,negligenter exequeretur. Rogabam fateor Deum identidem, ut cesus aliquantulum,uiam quæ ex alto eidem ostensa fuerat,tandem capesseret. Non hoc quæsiui,quo perculsus est,non hoc putaueram,at id Deo decretum fuit,ut uitam hanc relinqueret,præclaræque coronæ in cœlis præparatæ partem amitteret, famamque & nominis celebritatem, quæ ad summum cumulum, si uixisset, fuerat habiturus, ad plenum nō assequeretur. Verum benignissimus iudex, clementissime erga ipsum se habuit. Atque ob eleemosinas larga & effusissima manu pauperibus elargitas, & orationes quæ ad Deum instantissime effusę sunt,effectū est,ut nec eius anima in sinu patris adhuc super cœlos exultet,nec ad inferos deputata perpetuis tormentis crucietur,Sed purgatorio igni ad tempus mancipata,temporarias pœnas luat, quod in hac parte libentissime dixerim, ut qui eum nouerunt,& hi potissimum,qui eius beneficijs cumulati fuere suffragijs adiuuent. Hæc & plura alia uir Dei, clara uoce asseuerauit,Se addens non latuisse, ob mendacia eiusmodi,si qua miscerentur,uerbi Dei præcones dignos effici,de quibus æternū sumeretur supplicium.Nec non adijciens diebus aliquot,hæc sibi in uniuersum fuisse comperta,Sed propter uerba quæ uirginem dixisse sibi ægrotus affirmauerat,nutabundus stetisse formidasse

que

que diu,ne ille dæmonum opera fuisset illusus, quando ob eius mortem uirginis pollicitatio frustraretur. Veruntamen innotuisse sibi defunctum æquiuocatione mortis deceptum. Cum illa de secunda & æterna locuta fuisset,hic de prima & temporaria credidisset.Quod si quis dixerit hominem hunc uel hypocrisi fuisse mentitum,uel fantasmatis ludificatum,uel dæmonum præstigijs circumuentum,is nisi aut male de fide sentiens,aut mentis emotæ sit,fateatur necesse est,Deum multifarie fœlicitatem eorum miseriamque,qui animam effudissent, uiuentibus & reuelasse iam, & reuelare posse.Eodēq; temporis spacio eos quibus hæc palam fiunt,certiores reddere,se â non uisis,aut spectris illudi,sed uera esse,quæ aut mente,aut oculis cernant & uideant.Tantæ uero & doctrinæ, & autoritatis uirum, tantæ probitatis & prudentiæ, quorum in Aristotelis philosophiam,compendiaria theoremata monitiones publicæ,præclarissima interpretamenta,in sacra eloquia futurorum contingentium,prædictiones,quæ euenisse ad lineam,omnis uere nouit Italia, sanctissimaque uitæ conuersatio, testatissimam pridem fecere fidem,In principe templo tam celebratæ urbis,hęc ut uera,ut inconcussa tenenda,tot millibus hominum ueritate non comperta pronunciasse, nemo nisi maleuolus inficiabitur,Adde quòd dum nonnihil super id negocij sciscitarer uirum qui sermoni interfuerat,adijsse concionatorem audiui, ac eidem,ut ea plus haberent roboris,quæ uulgauerat retulisse, defunctum uallatum igne sibi apparuisse,& professum ingratitudinis adhuc pœnas dare. Quin etiam monacha quædam multis præclara uaticinijs,quęq; ipsi dum uiueret multa futura prędixit, quæ adamussim euenere,inter reliqua,hoc unum protulit,biennio antequam è uita migrasset, eum liliorum tempore opera & hortatu fratris Hieronymi(de quo mentionem fecimus) prædicatorum fratrum collegio se dicaturum. Eodemq; tempore Florentiam quandam familiam(quam Pactiam nuncupant)tunc exulātem,ad patriam redituram.Complures ad quos hęc fama peruenerat,super hac liliorum nomenclatura demirabantur, loqui eam arbitrantes de uerno tempore quo lilia florescunt, Sed lilium hoc Galliarum regem exitisse compertum est, talibus utentem

insignibus, qui pridie q̄ ille religionem uoueret, ita enim uouerat anteq̄ moreretur, & quatriduo postquam excorris i lla familia se contulit in urbem patriam, magno comitatu Florentiam ingressus est, iter per Hetruriam faciens, Neopolitanum regnum ui & armis in ditionem uindicaturus. Verum antequam finem faciam præfari iterum paucula in calce operis non inutile puto. Videor enim mihi uidere ad reuelationes has, ueluti ad lunæ umbram baubantes molossos, quibus adhuc offula (prioribus fortasse non contentis) obijcienda est, ne frustra latratibus aera uerberent. Video item dementibus excuti risum. Video his qui sciolos se arbitrātur suboriri ludum, qui forte ob non posthabitum religionis ingrediendæ salubrem afflatum, igne torqueri animas nō debere cōtendent, nec diuino afflatos spiritu tempestate nostra reperiri homines, qui Christi colloquijs perfruantur. At si peccata non morte sed uenia digna purgatorio igni esse plectenda arbitrarentur, iustos etiam pœnas dare non mirarentur. Item si seruum qui uoluntatem domini sciens non adimpleuit, teste ueritate, multis uapulaturum non ignorauerint, hunc qui Dei uoluntatem nouerat & implere distulit, & si à noxis quibusq; alijs fuisset immunis supplicia luere, non extasim faterētur. Alia ex parte rudem & insulsam eorum astutiam mirari satis non possum, qui cū Christum pro hominibus mortuum credant, eosdem homines alloqui eundem facile posse credāt. Vehementiori argumento, uirginis matris angelorumq; beatorumue hominum, ac spirituum afflatibus, participes eosdem mortales homines posse fieri non credant, animaduertendum eis profecto foret inferiora omnia per superiora gubernari. Dionysio etiam Areopagita teste in libro de Hierarchia cœlesti, separatisque mentibus inferioris gradus & naturæ, quibus hominum cura demandata est, per superiores mentes, quæ iterum uel à supremis uel ab ipso Deo diuina mysteria hauriunt, illuminari, hominesque diuino afflatos spiritu easdem reuelationes accipere, hominum multitudini cum expedit patefaciendos, sacrosancta hæc diuina diuinitatis lex. Quod ab eodem Dionysio libro cœlestis Hierarchiæ edocemur, per prima sequentia, ad augustissimam lucem subuehantur, ignari procul-

du-

dubio sunt diuinarum literarum, insolentis quoque & peruicacis ingenij, nam in illis conspici datur diuina futura mysteria non tãtum per bonos sed per scelestos homines, & pseudoprophetas quãque patefacta Quid prohibet huic fidem habere qui & doctrina & tot uirtutibus pollet, multaque iam futura, quæ nunc euenere prædixit? & hoc non somniculosẽ testatus, sed asseueranter affirmans? Adde quod Aristotelis philosophia, his non reclamet, & Platonica suffragentur, licet pro graui testimonio nisi scripturæ diuinæ autoritatem non acceperim, sed extraria hæc quandoque citare non absurdum est, ut maleuolorum tela in auctores maiore ui, quàm uenerint, reuertantur. Verum ad nosmetipsos iam redeundum est, quibus non tam moerendum est, quod talem amisimus, quàm quòd habuimus, & habemus, gratias agendum Regi, cui uiuunt omnia. Quippe qui mortalis uitæ munere perfunctus, diuque cum habitantibus Cedar, quos luce non pauca perfuderat, conuersatus, inaccessibile & infinitum supernæ patriæ lumen iam iam ingrediens ineffabili diuinitate nobis etiam in dies laturus opem sine fine fruetur.

POM.

OCTAVII CLEO PHILI FANENSIS VITA, PER FRAN. Polyardum.



CTAVII Cleophili maiores fuere in sua ciuitate non obscuri, auus maternus Daniel nomine diu in patria literas docuit. pater Octauius nō tam literas quã rei familiari operam nauans, bonus tamen & uir & ciuis ex Iacoba uxore liberos suscepit uirilis sexus tris, horum Agapeto natu maximo scientia ciuilis Pontificijq́ iuris honestum locum inter Fanenses canonicos peperit, ut inter milites strenuitas tractãdorum armorum minimo, qui Bernardus dicebatur. Octauius inter utrunque medius, quintum agebat annum, cum patrem amisit. Deinde sub uidua matre liberaliter educatus cum primum per ętatem licuit pręceptori traditus est Ant. Constantio Fani, tunc multa nominis celebritate docenti. Sub quo & ad poëticam & ad oratoriam facultatem formatus, cum plæraq́ puer adhuc dedisset sui ingenij experimenta, Ferrariam concessit ad Guarinum. Fuit assidue & cũ Baptista Guarini f. & Nicolao Leoniceno, per quos etiam in literis profecisse fatetur ingenue. Nemo doctorum fuit tum Ferrariæ, quem non habuerit pene contubernalem. In patriam reuersus adulescens adhuc ab Ariminensibus primum, deinde à Foro semproniensibus accitus, apud utrosque iuuentutem liberalibus disciplinis instituit. Posthæc Romam à Baptista Zenone cardinali deductus, maluit Octauius Cleophilus appellari, cum antea Franciscus diceretur. Proprium nomen à defuncto iam pridem patre, cognomen ex moribus sibi asciscens. Suasit ita (ut audio) Pomponius, Cuius id peculiare fuit, quod hoc tempore passim usurpari uideo, nomina ad antiquitatem reuocare. Iam florebat Romæ inter doctos, Volscum, Sulpicium, Pomponium, P. Marsum, Domitium, aliosque complures, quibus omnibus erat ob ingenij præstantiam charus, Gaudebat Zeno cum se domi habere

Antonius Constanti9

Nicolaus Leonicenus

Cleophilus nomē mutauit.

bere

bere poëtam, cuius carmina tota urbe cantarentur, hominemque benesperare iubebat. More tñ ingenij humani, cui sordent plerumque præsentia, à Zenone uel inuito ad Petrum sexti Pontificis nepotem & ipsum Cardinalem migrauit, illectus liberalitate qua is erat erga poëtas plurima. Sed paucis postquam migrauerat diebus ui morbi subitaria extincto Petro, quamuis fortuna non tamen animo destitutus, cum undique à multis appeteretur, Alexandrum secutus est eum qui post Pont. Max. fuit, ut eruditum, sic eruditis beneficum arbitratus, Nec opinione deceptus, reliquit tamen & hunc, quamuis multa insuper pollicentem, non ita constans in obseruandis quàm in promerendis principibus facilis. Abijt monitus & ab Alexãdro & nonnullis alijs, esset saltem in locis urbi propinquis, reuersurus euestigio, bonæque fortunæ particeps futurus, si forte quisquam illorum pontifex crearetur. Idcirco fuit Viterbi, Corneti, Praticæ, resp uens etiam Pataniani Gymnasij præfecturam ad quam non sine maximis emolumentis & honoribus uocabatur, ad futurum pontificem animo semper intentus. Sed enim aliud fortuna moliebatur. Viterbij publicè docens immisso à pueris quos uerberarat, sicario manum uulneratur, ita ut in posterum (ea enim dextra fuit) characteres literarum nõ ita bonos. hoc scimus plerisque & nostris & antiquis temporibus accidisse. Nam (ut omittamus cæteros) Alexandrum ipsum Macedonem, tantum principem, conflata à puero quem uerberibus affecerat conspiratione, capite periclitatum legimus Quid tum facias? quum illa ætas post castigationem uerborum, plagis postulat emendari? Recepit se igitur Cornetum unde hominis locupletis filiã uxorem duxerat, hinc à suis Fanẽsibus honestissimis conditionibus accersitus, dum mulam conscẽdit ad iter, repente defectis uiribus concidit, sublatus in cubiculũ tertio die moritur, anno uitæ xliij. à partu uero uirginis M. cccc xc eodem quo & Ant. Constantius in patria uita functus est. Suspicati sunt nonnulli à socero potionatum, ne abeunti filiam, dotemque sane grandem ex sponsione reddere cogeretur. Sed res parũ comperta est. filiolus recens natus Marcellus nomine paucos mẽses patri superfuit. Fuit Octauius ingenio ad poëmata parato faci *Cleophili obitus.*

lique natura, alius in Heroico carmine dulcis, & iucundus in elego, in epigrammate festiuus nec sale carēs, soluta oratione huber & cum grauitate cultus, ubiq; candidus, facilis, successuq; tanto, quanto utinam in cæteris rebus. Opuscula reliquit duodeuiginti partim metro, partim soluta oratione cōposita, quæ ipsemet enumerat in epistola quadam ad Fannenses, scripta eodem quo mortuus est anno. Anthropotheomachiam, de cœtu poëtarum,

Iuliam, Camillam, Syluas, epistolas metricas ad Laurentium Medicen, epistolas familiares, epistolas morales, historiam Ariminensem. Faneida, quā ipse historica prope fide scriptā asserit. Itineraria duo, De dictis factisque memoratu dignis li. iiij. Epigrāmatum li. vi. De miseria humana lib. iij. Libellum ad amicos Ferrarienses. Vulgarium carminū more Tusco in diuam Phœnicem li. ij. Quo in genere poëmatis prouocatus aliquando in certamen à Cornelio quodam, cuius erat Romæ opinio in ea re non leuis, doctorum iudicio uicit. Ab Alexandro Sphortia, Laurentio medice, cardinalibus aliquot ob ingenium amplissimis munerib. honestatus. Miror quid in mentem uenerit M. Ant. Sabellico in reparatiōe linguæ latinæ scriptum reliquisse, hunc utpote lasciui amoris cantatorem minime legendum, uiderat fortasse aliquid iocorum feruentis illius ætatis, præterea nihil, quòd si alia legisset, aliter proculdubio iudicasset. Tametsi ratio illa satis frigida, quū aliter & hodie & antiquitus iudicatum sit. Fuere huic mores probi, & si cupiditatem illam maioris fortunæ demas, quales par est homini Christiano. Statura mediocris, corpus gracile, uires integræ, uirilemque uultus dignitatem uenerandam faciens præmatura canicies. Ipse semper suis ciuibus charus, eruditisque certe omnibus, adeo ut ex ijs in tota Italia nemo non obitum eius lachrymis fuerit prosecutus.

POM.

POMPONII LAE-
TI VITA, PER M. ANTONIVM SABELLICVM AD M. Antonium Maurocenum equitem scripta.



OMmendauit mihi per literas, suos Cęsares Pomponius Lętus, ijs paucis diebus, quibus uita decessit, tantũq; mihi tribuit cõmẽdatione illa, ut ex ipsius erga me aĩ affectu, potius ea scripsisse libeat suspicari, q̃ꝙ me tam stultũ putaret, qui id genus laudis ab eo expectarem. In meis, inquit, Cæsaribus utere iudicio tuo, tu atq; lima castigatissima, qua nihil accuratius nostra nouit ætas, non repugno, sed adquiesco ingenio exercitatissimo exactissimoque, corrige igitur, emenda, subeasq; officium non lectoris, sed autoris, putaque libellum à te amicissimo publicari, qui diligentia ueteres prouocas. Vides Maurocene quantum uir ille summus mihi tribuit, qui tam humanè, ne humiliter dicam res, suas nostro subijcit iudicio. Legi ego cupidissime historiam hominis nostra ætate in recognoscenda uetustate diligentissimi, in qua præterq̃ quòd integra fide oĩa scribuntur, delectauit me supra q̃ dici possit castissima oratio, ut non Pomponium me legere arbitrarer, sed ex ueteribus unum aliquem. Intulissem, itaque libens rem nostræ fidei creditã statim librariæ officinæ, ut per me publicum sortiretur, non tam auctori, qui ab eiusmodi publicatione non abhorrebat, ut eius ad me epistolæ demonstrant, quàm nostratibus uiris gratificaturus, sed offensiunculæ quædam ut ad illum scripsi, nec adeo multæ, nostrum ab ea re consilium retardarunt. Hæ quia non sine temeritatis suspitione mutari poterant, ueritus ne primum iudicium secutus, ea demum tollerem quæ auctor maxime probaret, diu multumque dubitaui, quæ essent mei officij partes in cõmentarijs his publicandis. Nam Pomponius haud multo postquam hanc suam ad me misit lucubrationem, fato decessit. Sed tutiorem uiam ingressus, librum archetypum cum Pomponij chirographo, ea conditione librarijs obtuli, ut nihil illi adderent, nihil adimerent, quod ut commodius fieret,

totum negocium detuli Democrito Taracinensi uiro in librarijs officinis exercitatissimo. Miraberis scio in Pomponio nouam scribendi rationem, qui neglecta recentiorum lege, totus ex ueterū quorundam grammaticorum autoritatē pendet. Sed multo magis mirari possis nudam dicendi figuram, qui moribus & uitæ hominis fuit tā similis, ut nihil sibi ipsi similius esse possit. Ortus est Pomponius, ut eius uita tibi breuiter delinietur, in Calabris, quibus adempto Græcorum commercio nihil est tota Italia simplicius. Clarum in familia stemma, sed in quo tantus uir non sit legitime natus, ipse quod miror Genesim suam semper in occulto habuit, aut certe ignorauit. Sed cur ignorasse credi possit? cum suis quandoque per literas & nūcios ad id missos, multis precibus domum accersitus, ut tantas necessitudines non ignoraret, in hanc rescripsit sen tentiam. Pomponius lætus cognatis & propinquis suis salutem. Quod petitis, fieri nō potest. Valete. Fuit & si nobili loco natus, parum tamen liberali facie, breui statura, colore sub aquileo, capillo leniter inflexo, minutis oculis ac sub fronte penitus repostis, sed qui risu gratiam omnino aliquam mererentur, canicie multa resperlus, & qua iam grandis natu, uelut intempestiua, ut mihi dicitur, offendebatur. Mūdus in uictu magis quàm lautus, quippe qui uno fere cibo uteretur, cū solus cœnaret, uini paulo appetentior. Iuuenis sumptuose & frequenter conuiuatus est, parcius iam senex factus, modica supellectile contentus, & in qua nihil præter mundiciem probares, uestiebatur fere Gallico panno, ueste paululum à pedibus retracta. Pileatus hyeme & coturnatus procedebat in publicum, domū habuit in exquilijs permodicam, & uineam in Quirinali, in qua succisiuis operabatur horis, Porcij Catonis, Columellæ & Varronis, quorū studiosissimus fuit, pręcepta uel in paruis secutus. Pari studio domi hortulū colere, alereq; simul amphibias aues, atque omnifariam cortenses, piscari quandoque aut uisco & rhetibus aucupari, commessariq; interim ac potare auidius sub umbra, fluuiali ripæ, aut fontibus accubans. Vbi puer & à quo fuerit institutus incōpertum non habeo Romæ quod satis constat, Petro Montopolitano aliquandiu dedit operam, poëtæ & oratori sua ætate clarissimo, mox sub Lauren-

Pomponij uita.

Pomponij epistola ad propinquos

tio Vallense tantum profecit, ut eo defuncto continuo in magna nominis celebritate esse cœperit, ut qui ex omnibus illius asseclatoribus unus omnium prædicatione dignus haberetur, qui in defuncti locum succederet. Incidit inde in maximũ discrimen, quod cum Callimacho, Platina & alijs quibusdam non uulgari eruditione uiris in Paulum Põtificem Maximum coniurasse putabatur: Estque iam peregre profectus, ea de caussa sub custodia Romam deportatus, sed in quęstione datum est illi noxæ, quòd sibi & permultis adolescentibus, qui nostratium literarum studia affectarētur, nomen immutasset. Cæterum in tanto discrimine, nihil æque illi profuit ac liberum ingenium. Homo enim simplex ac nihil mali cogitans, appellatus de Pomponij nomine, à Vianesio Antistite, qui quæstioni præsidebat, quid inquit tibi & Paulo Pontifici si mihi fœniculi nomen indidissem? Custodia inde educta in Romano Gymnasio magno omnium fauore collocatur, principemque locum ab initio adeptus, duo ferme de xxx. annos (nescias maiore gracia an auctoritate) tutatus est. Nulli maledixit aut detraxit unquam, ac ne pati quidem poterat apud se alienā dignitatem lacerari. Silencium in eo signum non probantis, quæ temere alij mirarentur, aut carperent, susçꝑ deçꝑ ferre, quod aliquis de se male opinaretur, qua moderatione uixit omnibus charissimus. Fuit tamen (ex residuo credo odio ignominię calumnioso illo reatu acceptę) in clerũ aĩo paulo infestiore, & in magnorum Antistitum fastu & luxuria insectanda omnino dicatior. Sed mordacitas illa tam simplex, ut gratia & fauore ex ea re, non odium illi quæreretur. Plerique Antistites ac supremi ordinis longē principes, familiariter hominem appellare. Iuuare etiam pecunia alijsque muneribus, Ciuili seditione quæ in Xisti Pontificis tempora incidit, eius domo temere direpta, tam multa sunt hinc inde illi congesta ab amicis, & asseclatoribus, ut pene plura accepisse credatur, quā amiserit. Vixit autem paruo contentus, fuitque ab initio cõtemptor religionis, sed ingrauescente ætate cœpit res ipsa, ut mihi dicitur, curæ esse. Veneratus est omnium maxime Romanæ urbis Geniũ celebrauitçꝫ natalem urbis quotanis, frequenti doctorum hominum conuentu, ubi adolescentes eloquentiæ studiosi, pane

gyricis encomiaticisque actionibus dabant prima ingenij experimenta, pari studio ueterem spectandi consuetudinem desuetæ ciuitati restituit, primorum Antistitum atrijs pro theatro usus, in quibus Plauti, Terentij, recentiorum etiam quędam agerentur fabulæ, quas ipse honestos adolescentes & docuit, & agentibus præfuit. Nullus unquam magis uetustatem miratus est, nullus in ea recognoscenda plus operę impendit, fastidire sua sæcula, ac pro desperatis habere quæcunque nostra tulisset ætas, consistere amenti similis, ad omnem uetusti operis occursum, interdum etiam ubertim flere, meliorum (ut dicere solebat) temporum admonitu, capiebaturque adeo Romanæ urbis aspectu, ut semel sit in uita extra Italiam peregrinatus, uisurus, ut ipse ad me scripsit, quæ circa Tanaim Strabo pro incompertis reliquisset. Romanam iuuentutem paterno dilexit affectu, in qua si quid offendisset à ueteri indole degeneratam, uestri aiebat maiores non tales fuere. Vixit cũ eruditissimo quoq; mutua charitate. Quęrenti mihi, quem ex recentioribus doctissimum iudicaret: Theodorum Gazam respondit, multum etiã tribuere solebat & Nicolao Perotto Sypõtino Antistiti. Platinam & Marsum seniorem unicè dilexit. Petrum Cæsensem, & ipsum cognomen Marsum, Volscum, Sulpicium & alia recentiora Romanæ Acadæmiæ lumina, patria charitate fouit, tantumque abfuit ut horum cresceti laudi sit officere conatus, ut illorum etiam studia homo minime ambitiosus pręferret suis. per quæ consecutus est, ut eũ cuncti patris appellatione dignarentur, paterenturque sine controuersia Academiæ principem haberi. Profitebatur antelucanis horis descendebatq; ex aquilijs ad lumen laternæ, nisi pernox luna esset. Nihil uero legit unq; nisi ex suo chyrographo, pronunciabat canora uoce & iucunda, minimeque cõcitata, ob linguæ titubantiam, sermo magis castus, quã comptus. Cum Varrone diu luctatus est, ut in integrum restitueret, In Crispo & Liuio posuit quædam, & si nemo religiosius, timidiusq; tractauit ueterum scripta. In poëtas & historicos semper aliquid dictauit. Ipse quantus in lectione fuerit, eius discipuli facile demonstrant, Scripsit de arte grammatica, primo suo Tirocinio, ex ueteri grammaticorum forma, scripsit de magistratibus

Pomponius semel in uita extra Italiam peregrinatus

Pomp. Academiæ Romanæ princeps.

bus urbis librum unum, de legibus unum ad M.P. Pāthagatum, cætera studiorum eius monumenta, si qua fuere, in direptione domus intercidisse creduntur. Scripsit postremo de Cæsaribus, à Iunioris Gordiani interitu exorsus, descenditq; in Iustini exiliū, estque mira breuitate usus, sed in qua ipsius studium, in recognoscenda uetustate facile agnoscas. Sobria in eo figura dicendi, minimeque ambitiosa, fides & diligentia non uulgaris, quæ lectio eo magis & prodesse, & delectare poterit, quo minus hæc quę ab eo scribuntur, sunt à multis prodita. Sed tu Maurocene, qui ingenio & eruditione longe præstas, multo melius pensitabis, quid Pomponius sit supremo hoc humanorum operum labore meritus. Qui cum in his studijs (Græca uix attigit) atq; in cætera uita talis esset, iam propemodum septuagenarius fatali est morte consumptus. Frequens ciuitas defunctum extulit, celebraruntq; eius funus ad Cęsijaram, Antistites circiter xl. liberarum ciuitatum & principum, oratores plerięq; numero, Et cum his omnis Romanarum literarum claritas, estque more maiorum pro concione laudatus, Et hæc de Pomponio ad te, ut homo tibi minus consuetudine notus, qualis in omni uita fuit non ignorares. Nec cum hæc scripsi, omnia complecti potui, cum librarij hanc epistolam efflagitarent. Et si in quibusdam eorum quæ executus sum, fidem meam non astringo. Etenim diu absens, pleraque didici ex ijs, qui post meum ex urbe digressum, uixerunt cum eo uiro coniunctissimè. Sed multò plura erūt, quæ à me quā diu iuuenis illi operam dedi, diligenter obseruata sunt, ac nunc demum exacta ętate ex thesauro memoriæ repetita, tibi uir clarissime huic epistolæ inserui. Vale, & Sabellicū tuum ama.

PETRI

omnes liberalitate adepti sunt gloriam. Et cæteros quidem qui ex hac amplissima familia claruere, breuitatis causa reticeo. Corneliolum, qui monumenta reliquit ingenij, pulchrum, uarium & eruditum de agricolatione opus, præterire silentio non possum. Vix duodecimum Petrus Philippus ætatis egressus annum fuerat, cũ relictis grammatices & Rhetorices pręceptoribus, quos integros & præstantes domi habuit, puerilibusq; prorsus abiectis studijs, in senilem se transcripsit ætatem, & Iuris ciuilis & Pontificij (quorum studia cum diu in Italia penè relicta iacerent & neglecta, Perusij præcipue excitata erecta cultaque sunt) se studiosum ac quasi candidatum professus & sectatorem. Itaq; pulcherrimæ scientiæ ita sese dedidit uel potius addixit, ut & probitatis & domesticarum delitiarum quibus rebus in eiusdem ætatis lubrico labefactari plerumque pueri & adolescentes solent, penitus obliuiscere tur, tamque pertinaci teneretur studio ut uix usibus ab eo naturę abducerentur necessarijs. Eam iam tunc capiendi cibi & somni sibi perscribens & efficiens consuetudinem, ut utraque re oppido quàm modice uteretur. Nec nisi uxoris, postquam eam duxit, & propinquorum sæpe elicitus uocibus ac nonnunquam conuicijs extractus, epulandi gratia, studiorum & lucubrationum egrederetur secretum, quietis uero tempora quinque summũ impleret horis. Mirum dictu quantopere breui tempore profecit, postquã uacare ciuili scientiæ cœpit. Et quàm honesti quamque crebri manarent tota urbe de eo sermones, Quanta quoque spes futurę uirtutis quæ talia iam tunc fundamenta iecerat, omnium animis cõciperetur. Nam & disserebat assidue cum æqualibus, & difficiles crebrasque etiam ipsis præceptoribus quibus operam dabat admirantibus, proponebat quæstiones, sic instabat autem ut minime haberetur importunus, sic disputabat ut peruicax haberetur. Nã disserentium inter se quod Cicero ait, reprehensiones nõ sunt uituperandæ, maledicta, contumeliæ, tam iracundia, contentiones, in disputando pertinaces, indignæ, Philosophia (ego uero dixerim præcipue Iure ciuili) uideri solent. Hac Petri Philippi humanitate, animi dexteritate & doctrina, efficiebatur, ut quicunque in Perusino Gymnasio paulo essent studiosiores, in eius ir re-

perent beneuolentiam, ad eumq; confluerent, nec ut sociũ assidue quantum licebat, & condiscipulum sed ueluti ducem sectarentur & præceptorem, ac in eius esse cõtubernio & pulchrum ducerẽt & cõducibile experirentur, Quibus rebus motus Ioannes Petrutius Sperellus qui primum inter Iure cõsultos Perusinos tenebat locum, & erat illius ordinis facile princeps, in administratione uero Reip. ob eximiam nobilitatẽ, eloquentiam, sapientiam, primas sibi uendicabat partes, quem discipulũ habebat, generum quoq; habere expetiuit & contigit. Nam utriusque familiæ ingens splẽdor & præcipua auctoritas, filiam ergo ei cum dote summa despõdit & locauit. Nec dum uirtutis & doctrinæ quæ futuris iureconsultis conferri solent acceperat insignia, simulatque uero doctoris & Iureconsulti adeptus nomen, profiteri sciẽtiam Iuris cœpit, & abstrusa legum sensa latentemque uim, ac tantum non enigmata ex singulis prope uerbis eruere & proferre, illico uulgò subtilis Doctor appellari & haberi cœptus est. Vox ei in profitendo cõtigit modica, ut audientium auribus influeret magis quàm insonaret. Pronunciatio tum sedula tum iucunda, grauis oratio & uenusta. Tanta rerũ copia, tanta uarietas, ut non ex libris hausisse quæ diceret, sed ipse protinus crederetur peperisse. Quicunq; ad eum aut penitus rei cuiuspiã aut dubij causa accedebant, ilico re percepta, & certi consummatiq; ueluti ab oraculo reuertebãtur, Plenum profitentis auditorium semper erat, plena domus, ac fere totius oraculum ciuitatis oĩsq; generis hominum frequentia celebris, Ad eum unum potissimum & qui institui Iuris scientia optabãt, & qui de suis litibus & controuersijs ambigebant, ac fieri uolebãt certiores & consilij compotes, undiq; confluebant. Nullum homini ocium, nulla cessatio, nulla laboris dabatur intermissio, Nunq; neq; nocturnis neq; diurnis quidem cessabat horis, pręter exiguum illud tempus quod quieti impartiebatur & capiendo conterebat cibo, quod ipsum propere faciebat. Nec tñ tanta defatigatione qđ crederet fortasse quispiam, frangebatur unq;, & quasi fathiscebat, Quippe qui primis annis sic uitam instituerat, ut nullam sibi ipsi impenderet requiẽ, & quam maxime laborare, quàm plurimis prodesse, ludum iocumq; existim ret. Et re uera ea demũ uita

ponenda

putanda est, quæ non in ocio sed in negocio agitur, nec in priua- tis tm̄ commodis, sed in coī uersatur & quasi atteritur utilitate. Nam quod ait Fabius summus docendi & dicendi artifex, sicut a- ues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur, ita nobis est propria mentis agitatio atq; solertia. Adde quòd incre- dibilis quædam in Ciuilis & Pontificij Iuris libris, à studiosis eius scientiæ, reperitur delectatio, quod quidem importuni aliqui & rerũ prorsus ignari, minime sibi possunt persuadere, quippe qui oīno insuaues, & tetricam quandam rem, leges arbitrantur esse. Sed quid profecto dulcius, quid iucũdius homini potest esse, quã animo rerum gerẽdarum formulas colligere, quo tenore unum quodq; agendum in ciuitate tractandumque sit, quibus recte fa- cta premijs affici, quibus uitia hominum atq; fraudes supplicijs & ignominijs mulctari oporteat cognoscere? Qua ratione unusq- quisq; contra litigantium calũnias & aduersariorũ insidias sua tu eatur, perscribere & docere. Et re uera sola auctoritas legum, libi dines domat, cupiditates cohercet, omnia cum sacra tum propha na, tum publica, tum priuata moderatur. Nec exigua me Hercule in ipsa uerborum proprietate & cultu, in sententiarum acumine & grauitate, in antiquitatis officijs, quæ cum in dictis tum factis & exemplis actionumq; generibus, maiorum consuetudinẽ mo resque declarant, animorum existit quasi titillatio & iucunditas, ut merito à Iureconsultis ciuitates moderentur & gubernẽtur. ac tam iustus honestusq; labor honoribus, premijs, splendore de- coretur. Vnum Cicero xij. tabularum libellum, in quo legũ fontes & capita traduntur, fere oīm philosophorum bibliothecas & au- ctoritatis pondere, & ubertate utilitatis superare inquit. Sed ad Petrum Philippũ redeo, aliâs. n. laudandæ ciuilis scientię dabitur fortasse locus. Nullum in tota Italia gymnasium est paulo illustri us, à quo non uehementer expetitus, maximis propositis premijs inuitatus atq; accersitus fuerit. Sed neq; ciues neq; summi Pont. quibus Perusini gymnasij præcipua cura est, ab re hominẽ per- mittebant, & tanto ornamento priuari Perusini æquo animo fer re haud poterant. Dux Ferrariensis urgentibus iuris utriusq; stu diosis & Ferrarięsi gymnasio assiduis precibus efflagitãte, nõ pri

Scientia Iuris.

us accessere literis nuncijs & maximis premijs desijt quàm ut Ferrariam proficisceretur, perpulit. Sed ilico consecutę sunt Sixti summi Pontificis literæ, irarum & comminationis plenissimæ. Credebatur enim Perusinum illo amoto prorsus ruiturum gymnasium. Quare & dux etsi inuitissimus & ipse reuerti e uestigio in patriam coactus est. Et cum nescio quomodo minus lætis & cõpositis rebus nostrę ciuitatis, obtinuere Florẽtini ut in Pisana academia profiteretur, Quod ampla honestatus mercede, maxima fama & hominum admiratione triennio fecit. Tandemque à Pontifice Maximo Perusijs flagitantibus & gymnasio, quod tanti uiri absentia non mediocre sentiebant detrimentum (omnes enim scientiæ ciuilis studiosi quocunque ibat sequebantur) in patriam retractus est. Ex quo tempore dare responsa prope solus consulentibus cœpit ex omnibus Italiæ locis & prouincijs, etiam transalpinis transmarinisque consulentibus. Inter ciues uero lites componere concordiam serere, arbiter sequesterque citra ullam litigantium impensam, esse solebat, tantum in publicis rebus habuit auctoritatis, ut eius consilio & iudicio pleraque gererentur decernerenturque, honorificis ad summos Pontifices, ad Florentions aliosque populos & principes functus est legationibus. Comitijs habendis & creandis in quinquennium Perusino ritu magistratibus aliquando præfedit, ob singularem autem doctrinam, integritatem, humanitatem, ac summam liberalitatem, quę tñ uirtus peculiaris Corneliæ gentis est, ueluti patrię patrem diligebant oẽs, obseruabantq́ & tanquam expressam uirtutis imaginem mirabundi uenerabundiq́ intuebantur. Sermonis fuit perq̃ modici, nec nisi cum consulentibus fuerat, & sua ipsius ac suorum maxime intererat loquebatur, quotque ex ore eius prodibãt uerba, tot prodibant sententiæ. In consulendo non tantum ab utroque iure, sed ex sacris literis, hystoricis libris, poëtis alijsque scriptionibus exempla & testimonia sumebat, tunc præcipue, cũ aliqua incidisset difficultas, quæ minus tractata in Iuris libris, uel discussa esset. Irasci ac animo commoueri perquam raro in tota uita uisus est. Cumque laudari audiret nonnunquam, qui illico quidem irascerentur, sed per facile ad lenitatem redirent & placarentur

tur, multo satius dicebat esse non irasci, cum absque leuitatis nota ab ira ad mansuetudinem & animi æquitatem tam repente fieri non possit mutatio & regressus. Operam amicis, affinibus, ipsis denique ciuibus, in aduocationibus & patrocinijs gratuitam impendebat. A cæteris id demum accipiebat, etiam pro redactis in scripta & libellos responsis, quod sponte sua offerebant. Neque cum quoque paciscebatur unquam, quantumuis laboris subiturus foret, & difficultatis, sordidum enim putabat mercedulas instar operariorum exigere. Et nouerat parui animi esse amare pecunias, Monasterijs, Orphanotrophijs, Xenodochijs & quibuscunque locis Deo & religioni dicatis, si quando ad opem suam decurrerent, præsto semper erat, tantumque aberat ut emolumenti inde caperet quicquam, ut & sua pecunia contenta contra potentiorum defenderet iniurias. Qua bonitatis fama id cõsecutus est, ut quocunque consilia eius scripta essent perlata, ut omittam doctrinam quæ summa erat, fere & rata haberẽt & sequerentur iudicantes. Veterum & recentiorum Iurisconsultorum dicta, quæ inter se pugnantia uidebantur, eo erat ingenij acumine & solertia, ut nihil aut parum inter se dissentire ostenderet. Neque fuit quisquam ea tempestate ante admirabile hoc & prope diuinum imprimendorum æreis literis librorum inuentum, cui maior illorum esset copia & pleniora loculamenta. Omnes uero quotquot congesserat, ita percurrerat, signataque omnia, & in memoriæ reposita locataque thesauro, sic ad manus habebat ut quoties opus esset sine ulla mora & hæsitatione quicquid uellet depromeret. Statura fuit perbreui, infra trientem, forma totius corporis egregia atque amabili, oculis nigris, lucentibus, & præcipue uegetis, ualetudine firma, quam sobrietate conseruabat, ut bis, terue ad summum, in tota uita, sed sic, languorem contraxerit, ut magnopere medicorum cura non indigeret. Cibi, potionis, somni admodũ parcus & circa Venerea & uoluptuaria continentissimus. Nunquam incommodus aut importunus cuiquam, nullo utebatur amanuense, quæ responsa consultoribus dabat ipse scribebat, eaque dumtaxat causa scribentes alios nõ admittebat, quòd intentioni & intentionis celeritati tardius sequentes uerba officiebant.

Id quod usuuenire solet, quoties præstantioris alicuius ingenij affluentior ubertas & copia ac promptior extitit excogitatio. Decessit 73. agens annum, integris sensibus & uigentibus adhuc, etsi corpore debiliore & pene iam effoeto, superstite uxore cũ qua cõcorditer uixit & liberos 6. quorum foeminæ tres, totidem mares quos diuicijs & auctoritate præstantes in patria & minime à suo degenerãtes splendore, destituit. Reliquit monumenta ingenij millenis uoluminibus impressa, & ducenta quinquaginta Consilia, plura ediderat sed quadraginta desyderantur furto ab inuidis (quod arbitor) subtracta, q̃ta in his quæ habentur sit utilitas, quã multa & expressa ingenij & doctrinæ argumenta, iudicabũt qui legent. Tantum dixerim nihil fere in toto Ciuili iure admodum esse obscurum & dubium quod hic declaratum patefactumq̃ nõ sit. Reliquit in omnes fere Iuris titulos quos ordinarios uocant commentaria, accuratè, diligenter & acutè scripta, quorum iam impressa quædam, reliqua mox dabuntur, extãt repetitiones duę altera in Autenticam: Sacramenta puberum. Altera in legem: Si pascẽda pecora. Professus est annos circiter quinquaginta, ut ad mirabile uideri posset utriq; & profitendi & scribendi sufficere labori potuisse, Elatus est moerore publico & magis magisq; indies desyderatur, cum tantæ utilitati, tanto ornamento publicę & literariæ rei esset. Quę de tanto uiro & Iureconsulto nõ idcirco scripta ac edita hic sunt, ut uendibiliora hæc fierent consilia, Sed quia nephas esse ducebamus, eius doctrinam cognitam ex libris, uitam honestè & gloriosè actam, sæculi negligentia à posteris ignoratam esse, cuius si nulla prorsus extarent monumenta nulla relinqueretur memoria, nec ueluti statua in publico, ut sit alijs exemplo, ad imitandũ proponeretur, & Corneliæ gentis posteri ac patria ipsa, ex tot & tam egregijs prestantissimi Iuris consulti uirtutibus (quæ si defuisset laudator, breui tempore abolerẽtur) gloria priuarentur, Nam uenire usu plerumq; solet, ut licet rectè quis aliquid & eleganter scribat, tamen peccet, & quasi claudicat uita.

Cornei obitus.

Scripta Cornei.

VITA IACOBI PAPIENSIS CARDINALIS, PER IAcobum Volaterranum descripta.



ARdinalis Papiensis, cuius non tam uitam, quàm uitæ illius cursum describimus. Iacobi nomen patris uoto adeptus est, Lucæ clara Hetruriæ ciuitate, Amannatorum familia non ignobili, honestis parentibus genitus. Prima literarum rudimenta puer in oppido Pisciæ Lucensis diœcesis didicit. Florentia uero iam adolescens, sub Carolo & Leonardo Aretinis poëticæ & rhetoricæ operam dedit. Ad finẽ Iubilei sedente Nicolao Quinto Pont. Max. Romam se contulit, & à Cardinali Firmano in secretariũ est ascitus. A Calixto deinde iij. qui Nicolao successit, eodem secretarij munere ornatus, apostolicorum diplomatũ scriptor effectus est. Calixto defuncto assumptus ad Apostolatum Pius II. ad eandem secretariatus dignitatem ipso die assumptionis illum nec postulantem nec opinantem uocauit. Biennio pòst ecclesiæ Papiensi præfecit, ac paulo post ad Cardinalatum assumpsit. Dilexit enim illum unice Pius, tam propter elegans eius ingenium & bonarum literarum peritiam ac dexteritatem ad quæque obeunda, quàm propter manuum puritatem, quas toto uitæ suæ tempore ab omni corruptionis genere immaculatas seruauit. Defuncto Pio, cui Paulus secundus successit, habitauit ad Tyberis ripam modicis ædibus, sed multa hilaritatis gratia, & aëris salubritate conspicuis. Secedebat aliqñ æstiuo tempore in Hetruriam apud Senenses, cũ quibus propter sanctiss. patris Pij memoriam libenter uiuebat. Vbi & prædia & domos sibi parauerat. Biennio ante obitum Lucensi ecclesiæ præfectus fuit, ad quam uisendam profectus, ijsdem honoribus receptus est, quibus Pont. Max. si qñ Lucam diuerterũt, recipi consueuere. Census illi sacerdotiorum fuit ad modestiã dignitatis, quorum aceruos non quæsiuit modo, sed in alijs uehementer *Papiensis integritas.*

ter

ter detestabatur. Vir certe magni ingenij, ac si ei aliter mori contigisset, maioris consilij habitus. Manu dexter ad omnia, ad quae intendebat animum. Elegantis & magnae doctrinae, atque in scriptis suis non minus sententiarum grauitatem, quàm ornatum ostēdens. Frequenter scripturae sanctae uerbis de industria utebatur, utpote quae sorti & dignitati suae cōuenire plurimū existimabat. Scripsit Pontificū uitas, quę uel aemulorū malignitate deperditae sunt, uel forte (quod uelit Deus) in aliud tempus seruatę. Scripsit commentarios à Pij profectione Anconam dum in Turcas expeditionem pararet, usque ad obitum integerrimi patris Caruaialis, qui annorum fere quinque historiam continet, omnium uidelicet, quae ubique memoratu digna inciderunt. Scripsit epistolas multas tam otij ad alendum ingenium, quàm negotij caussa ad amicos, à me in hunc diem supra sexcentas magno labore & cura collectas. Scripsit uersus magis argutos, quàm suaues. Eiusmodi tamen ut facile quilibet non malignus interpres ingenij ipsius prę stantiam possit agnoscere, Initio Pont. Xisti quarti Pont. Max. Perusinam & Vmbriam prouincias secunda fama administrauit, Biennio ante obitum Thusculanae ecclesiae titulo honestatus est, cum prius inter presbiteros coaptatus, sancti Chrysogoni titulū habuisset. Testamenti pars prima, quae funeris rationem tantum continet, inter ipsius scripta reperta, nec, ut uidere licet, emendata. Ineunte autem nouo anno Xisti pontificatus in Vulsinienses tridui iter ab urbe Roma secessit, aestiui aeris uitandi gratia, sicuti quolibet ferè anno consueuerat. Cum uero quartanae morbo aliquantulum laboraret, & ad depellendum flegma, quod inhaeserat stomacho, ignobilis cuiusdam Picentis medici consilio accepit helleborum, male, ut creditur, ab illo temperatum. Quo hausto altissimo somno correptus minus diei spacio in oppido Laurento tertio Idus Septembris mortali uita excessit, anno aetatis suae septimo & quinquagesimo. Magnae uirtutis patri hic uitae exitus fuit. Corpus eius pontificis & patrum decreto in urbem relatum, prosequente familia, & in aede Augustinensium marmoreo sepulchro conditum, Funus de more celebratum, praediola, & domus uendita. Nonnulla Xenodochio sancti spiritus elargita. Aureo-

orum octo millia tantum domi, & apud Menſarios inuenta & Pōtifici numerata. Veſtis ſacra & uaſa nōnulla argentea ſacri uſus Apoſtolico ſacrario dicata. Sed ut bona ipſius omnia multis diſtributa, & quaſi ſub haſta uendita, paruo tempore couſumentur, ita eiuſdem ſcripta, iam pluribus grauſbus & eruditis uiris nota, indies celebriora erunt, nec ullo unquam tempore interibunt.

CONRADI CELTIS PROTVCII, POETÆ GERMANI VITA, PER Sodalitatem literariam Rhenanam.



ONRADVS Celtis Protucius, familia Celtica honeſta, & apud primores Frāciæ honorata, ad Mænū fluuiū, haud longè ab Heribipoli Francorum in Germania metropoli, Kalendis Februarijs natus fuit, imperatoris Friderici tertij imperij anno ſeptimo, qui annus natiuitate Maximiliani inſignis Idibus ſequentibus Martij fuit. Natus infans decem diebus continuis incredibiles uagitus edidit, butiro & mellis fauo foco admotus egrè leniebatur. Reſponſumque eſt à nutricibus, magnæ famæ & facundiæ uirum fore. Infantia exacta, à Germano ſuo Druide literarum rudimenta (ut Germanorum inſtitutio fert) breui perdidicit. Per patrem à literis reuocatus, ut uinearum & familiæ curam ſuſciperet. Cumque in uineam perductus eſſet, elapſus nil tale ſuſpicantis patris manibus, aſcenſaque rate per Mænum Agrippinam Coloniam uenit, ibique liberalibus ſtudijs & Theologiæ aliquando uacauit. Motus dein fama Ioannis Dalburgij Vā

Celtis eodē anno quo & Maximilianus Cæſar natus.

Celtis inuito patre literis operam dedit.

gionum episcopi, & Rudolphi Agricolę, Heidelbergã adijt, ibiq; oratoriam & poëticam, cum linguæ Grecæ & Hebraicæ prægustamentis hausit, & mox per Erfordēsium, Lipsensium, Rostocensium gymnasia iter corripiens, non paruas pecunias docendo acquisiuit. Et ad Italiã profectus, Paduę Calphurnium & Creticum, Ferrariæ Guarinum, Bononiæ Philippum Beroaldum, Florentiæ Ficinũ, Venetijs Sabellicum, Romæ Pomponium Lętum audiuit, à Roma per Venecias, Y llíricum, & Pãnonías, Sarmatas adijt, ibiq; astrorum studio uacauit, præceptore Alberto Bruto usus. A peregrinatione Sarmatica rediens, Friderici Saxoniæ ducis familiaritatem nactus, cuius suasu & ductu coronã poëticam à Cæsare meruit, ætatis suæ anno 32. Primusq; eius dignitatis titulum & insignia apud Germanos gessit. Quamobrem ad peregrinationem rursus conuersus, cuius auidissimus discendi gratia fuerat, totam Germaniam, & eius quindecim publica gymnasia perlustrauit. Primus patriæ linguæ suæ terminos ad quatuor latera conspexit. Primusq; eloquentiã Romanam, quantum Germano homini cōcessum, cum rudimentis Græcæ linguę in Germaniam retulit, uiuendi, loquendi, intelligendiq; præcepta docēs & scribens, multa uarietate rerum & opinionum ueterum sapientũ. Primus comœdias & tragœdias in publicis aulis ueterum more egit. Statura erat mediocri, corpore obesiore, facie clarissima, candentibus oculis & grandiusculis, ore decoro, pilo leni, raro & subnigro, & circa tempora parum renodi, barba rara, & eius præcoci canicie, & frontis caluicie. Animo & mente hilari, & uultu gelasino, ualetudine prospera, imbecilli stomacho. Solis, nemorum, montium, peregrinationum, balneorum, cōuiuiorum, & utriusq; musicæ pertinax amator. Amicitiæ & fauoris studiosissimus, & cui nulla ad audiendum doctos uiros longa aut difficilis fuerit mora. Oĩm antiquitatum diligens inquisitor & admirator, in uerbis & moribus lenis & suauis, sed in iram præceps, & non facile placabilis, in reliquis animi motibus sedatus & generosus. Amicos selectiores, & præcipuos habuit, & quos semel accepit, nunq̃ suo uitio perdidit, Ioannem Dalburgium episcopum Vangionum, Ioannem Tritemiũ Spanhaimensem abbatem, Mosellanum, Ioannem

Celtis primus Germanorum poëticam coronam meruit

amem Vigilium Cheruscum iurisperitum, Andream Subertum, & Ioãnem Stabium, mathematicos, & theologos, Conradũ amicum medicum & metallarium, Ioannem Tolophum astronomũ & astrologum, Andream Pegasum Sarmatam, Sebaldum Clamosum, Graccum Pierium Cæsareum, Hartmãnum Eptingũ Philippũ Calimachum Floretinum uatem, uirum doctissimum, Communes autem tot quot humanitatis & honestarum literarũ amatores. Eius dicta memorabilia, prçter ea quæ carmine cõscripsit, hæc sunt: neminem uiuere cui non pars stultitiæ contigerit. Nullam agnitionem difficiliorem q̃ sui. Eam solidam esse uoluptatem quam nulla pœnitudo sequatur. Interrogatus cur negligentius opes curaret, respõdit, maiorum domũm maiorem esse curam. Et rursus de eodem interrogatus, subiecit, Impossibile non curantem habere quod habeat. Somnum, uinum, amicũ, & philosophiam, dixit leuamina, & uitæ uehicula. Aetate uinum & carmina preciosa fieri. Conueniens esse philosopho pessimis displicere. Philosophum oportere amatores sui primum docere patientiam & uacuos reddere affectationibus, inuidiam conuertere debere sapientem in misericordiam. Optimum genus uictoriæ non inuidiam, sed in pœnitudinẽ duxisse hostem, Tolerabiliores esse miserias, dum ad aliorum comparantur calamitates. Illorum qui sine laude uiuerent, eorum laudes & uituperia non debere curare sapientẽ. Præbere histrionum speciem, qui habitu tm̃ profiteantur religionem & philosophiã. Multũ referre in quæ tempora cuiusq; uita & uirtus inciderit. A diis neminem amari, nisi quẽ ament hoẽs Amantem & inuidum intra se gestare supplicium. In præteritum ne quidem deos immortales consulere posse, & perinde de his esse consolationem. Principes indoctos organorum instar esse dixit, quæ aliorũ impulsu sonos edant. Fœlices esse dixit, q alios probata institutione crudirent. Fœliciores qui cogitationes suas illustres ad posteritatẽ destinarẽt. Fœlicissimos qui utrunq; perfecissent. Et tria gñã ingeniorũ. Bonos, qui aliorũ scripta interpretentur. Melio. es, qui exotica trãsferrent. Optimos, qui noua cuderent. A iorum affectus esse fatales. Hortãti ut indoctũ doctorẽ salutaret, respondit, Doctos quærimus, doctores plures ha *Ingeniorũ tria genera*

bemus. Aspernantibus eloquentiam & græcas literas, respondit. Facilius esse honesta studia & uirtutem contemnere, quàm discere. Philosophum docere passiones suas frangere, aut condere. Apud prudentem & studiosum uirum debere obseruari semper ut dies diē doceret. Interrogatus quid noui acciperet, respondit, Nil nisi nouas semper in peruersis mentibus erumpere cogitationes & affectationes. Cum ex familiaribus suis quendam commendasset, & ille negligentius egisset, hortantibus cunctis ut eum uituperaret, respondit, Semel laudaui, uituperare non possum. Poëticam diuinum esse motum animi. Oculos fenestras animi, & sensus ianuas intellectus esse dixit: Virtutem esse ut spongiam & silicem, quorum alterum si compresseris, contrahitur, alterum si læseris, ignem elicis. Dulcissimam esse mortem, quę cum gloria apud posteritatem reuiuiscet. Dum quendam castigasset, & ille se illustrium uirorum uitijs tueretur, respondit: Illorum uitia sequeris, uirtutes negligis. Viuum uiuis prodesse debere, post mortem bonorum omnium incertum hæredem. Virtutem similem esse dixit oleo, quod cuicunque liquori miscueris, demum supernatabit. Interrogatus quo Græcorum & Latinorum studia differrent, respondit: hos magis rebus, illos magis uerbis abundare. Neminem in familiaritatem suam admisit, nisi quem ipse meliorem, aut qui se meliorem reddere posset. Non quomodo uiuendum, sed quomodo moriendum, cogitandum esse dixit. Colentes se colere debere, spernentem spernere. Interrogatus quo res humanę consisterent, respondit: Tolle eloquium & intellectum, non erit quippiā in hominibus. Mēstruanos amicos uocabat qui aduersis rebus amiciciam soluerent. Quomodo aliquis cognosci deberet interrogatus, respondit, Ex eius amicis & contubernalibus. Scripsit in poëtica, libros amorum, quatuor uitæ circulos, ut Pytagorici tradunt, & secundum quatuor ætatum affectiones, & secundū quatuor Germaniæ latera, ut illam ab occaso Rhenus, à septentrione Rodanus, & mare Germanicum, ab ortu Vistula, à meridie Danubius & Alpes claudunt, obseruatis maxime gentiū moribus, & locorum naturis, fluminibus, lacubus, syluis, & urbibus insignioribus Libros carminum totidem. Horatium maxime secu-

Virtus simi lis oleo.

Scripta Cel tis.

cutus in lyricis & epodis. Libros epigrammatum quinq;. Scripsit Parnasum bicipitem, in quo poëtas & theologos concordat. Theocriceiden orsus, qua Theodorici regis Gothorum & Germaniæ historiam complecti uersu heroico, uolebat oratione pedestri Germaniam illustratam, situm Norenbergæ, & de eius institutis moribus, aliaq; nō multi ponderis opuscula. Vixit annis xlviiij. diebus III. Ad An. Do. M.D.VIII. currentem ad II. No. Februa.

∴

SEQVITVR AGRICOLAE VITA.

GERARDVS GELDENHAVRIVS NOVIOMAGVS IOANMI FICHAR. V.I. Doctori, & ciuitatis Francofordiæ Aduocato. S. P.

EN habes Rodolphi Agricolæ Frisij uitam, non tam eleganter & copiose, quã simpliciter ac uerè scriptam. Huiusmodi enim scripti genus, quod ad morum institutionem pertinet, magis simplicem ueritatem quàm phaleratam illam facundiam requirere non ignoras. Nihilominus ego Aesopicæ corniculæ exemplo, alienis plumis (ut cernis) tanti uiri uitam exornare conatus sum. Quare si mihi contigerit quod Corniculæ, nullum uideo iustæ querelę locum. Vnũ saltem me consolabitur, quod tui, hoc est, immortalis amici causa uel deplumationis periculũ non subterfugerim. Bene uale, Datæ Marpurgi Cal. Ian. An 1536.

VITA RODOLPHI AGRICOLAE FRISII, AVTORE GERARDO GELdenhaurio Nouiomago.



GRICOLARVM familia, apud Frisios, inter honoratiores semper habita est. Ex hac incomparabilis heros, Rodolphus Agricola originem duxit, Gronyngæ nobili illa Frisiorum metropoli, natus & educatus, haud obscura ingenij ac memoriæ specimina, in ipsa infantia, ædidit. Libellis enim & chartis unicè delectabatur. Nutricularum quoque blandimenta, balbutiens lingua, fœlici conatu exprimebat. Puer admodum, in ludum literarium missus, non solnm coętaneos, uerum etiam multos natu maiores, discendo pręcucurrit, ita ut ludi magister, si quis ignauię tarditatis ue arguendus esset, Rodolphi alacritatem, studium, diligentiam illi ob oculos poneret. Breui in Grammatices rudimentis tantum promouit, ut præceptoris sententia aptus iudicaretur, qui ad Academiam aliquam nominatiorem mitteretur. Eo tempore Louanij, quæ est Brabantiæ primaria ciuitas, bonæ artes, uocatis ad hoc amplis stipendijs, doctissimis quibusque omnimodæ Philosophiæ professoribus, miro studio docebantur. Præterea adulescentulorum mores, ingenti cura formabantur, ea ratione ut propius ad seueritatem quam indulgentiam accederetur. Quare factum est, ut tota ferè secunda Germania, unà cum bona Galliæ Belgicæ parte, quum adulescentes, Lutetiæ Parrhisiorum & Coloniæ Agrippinæ, licentius lasciuiusque uiuere didicissent, hinc auocatos, Louanium, tanquam ad quoddam bonorum morum solidæque eruditionis emporium statim mittendos, censeret. Venit ergo & Agricola Louanium, nomenque dedit inter eos qui in pædagogio (usu hoc uocabulum iam receptum erat) quod tum cacabi, nunc falconis, insigne est quod præ foribus dependet, uocatur. Hic uix Dialectices

Gymnasiũ Louanien.

cle-

elementa degustarat, & mox cōmilitones, stupentibus præcepto
ribus, præuertere cœpit. Quæ à magistris audiebat, nō tantū me
moriæ, sed literis etiam commendabat. Puer enim didicerat illud
Ciceronis: stilum esse optimum dicendi magistrum. Erant tum
Louanij nōnulli qui latinē dictionis puritatem amare cœperāt,
his se Rodolphus, fato quodam, familiarius adiungebat, suffura-
baturque nonnihil tempusculi quo, ab Aristotelicis laboribus ua
cans, Ciceronem Quintilianumq; legendo percurreret. In scho-
lasticis disputationibus, sedato animo, ore uerecundo, aduersari-
orum argumenta semel atque iterum repetebat, singulas partes
accurate introspiciens, summa arte, si quid refellendum esset, re-
fellebat. Sua uero, neruosē, acriter, magna certæ uictoriæ spe, &
proponebat & defendebat. Præceptores quoque quæstionibus
quibusdam, contra receptum Aristotelicē docendi ordinem, in-
terdum solicitos reddere illi moris erat. Meditabatur enim adu-
lescens, ex obseruatione Ciceronis & Quintiliani, ea quæ hodie,
magna eruditorum admiratione, leguntur. In examinatione &
censura eruditionis publica, inter multos competitores, modestia
ac liberalium artium cognitione præualuit, primasque Magiste
rij, id summi honoris est Louanij, artium obtinuit. Mox cœpit
Rodolphi Frisij nomen per totam Academiam, finitimasque ci-
uitates, illas quidem celeberrimas, diuulgari. Potuisset docendi
conditiones adipisci honestissimas, si non diuinus tanti adulescen
tis animus ad altiora anhelasset. Quod dicturus sum, non medio-
crem admirationem, non infimam meretur laudem. Quum in ip-
so pædagogio, inter Belgas, qui Gallica lingua utebantur, & ad
Musicen, natura propensiores sunt, habitaret, Gallicam linguā,
ita didicit, ut Hannoniorum simplicem rusticitatem deuitaret,
aulicamque eius linguæ elegantiam, fœliciter imitaretur. Mira-
bantur Galli, Frisium intra paucissimos menses, absque præcep-
tore, & id Louanij, Gallicē perorantem. Musices uero, ea funda-
menta, eijsdem annis iecit, quibus absolutam eius artis peritiam
postea superstruxit. Canebat enim, uoce, flatu, pulsu. Literas
pingebat elegantissimē, à quarum pictura ad ipsam pictoriam
artem, non sine maxima laude sibi, aditum præparauit.

Louanij uixit honestissimè, & ab omni compotatione commessa tioneque, contra gentis suæ morem, tam alienus, quàm qui in media Italia, inter optimos quosque educatus esset. Tantus erat bonarum literarum amor, tam indefessum studium, ut turpis Veneris fornices & lustra, ne nouerit quidem. Quum autem aliud nihil aut loqueretur aut ageret, quàm quod ad ueram absolutę eruditionis gloriam spectaret, relicto Louanio Gallias adijt, ut uel ibi disceret, quod sibi deesse sentiebat. Hinc in Italiam profectus, & Græce & latine discendo pariter atque docendo, tantum nominis adeptus, ut Itali nonnulli inuiderent simulque deflerent, Latij gloriam, in penitiorem Germaniam, hoc est Frisiam, iam mox demigraturam. Redijt tandem in patriam, ibique honestissimo officio, Rodolphum suum honorare ac detinere prudentissimus senatus annisus est. Verum cui omnia, pręter literas, sordebant, persuaderi nulla ratione poterat, ut â semel adamata sapientia, uel pilum latum discederet. Versatus est aliquandiu Nouiomagi, Batauorum ciuitate, quæ mihi patria est, in qua, præter summos honores, amplissimum quoque stipendium facile assequutus fuisset, si reipublicæ sese addicere, in animum inducere unquam potuisset. Crebro loca mutabat, quod non leuitatis, non inconstantię sed iudicij erat. Altius namque mẽti infixerat Horatianum illud: Dic mihi Musa uirum captæ post tempora Troiæ, Qui mores hominum multorum uidit & urbes. Ferrariæ uno ac altero anno loci amœnitate, studiosorum ac nobilium quorundam Musicorum frequentia, ipsius quoque Principis liberalitate detentus est. Vnum saltem famulum peregrinationum suarum comitem habebat. Non uestiebatur splendidè, sed honestè & mundè. Plinij naturalem historiam, nunquam è sinu deponebat. Iunioris Plinij epistolas, Quintiliani de Oratoria institutione libros, sibi descripserat, quibus Platonis Ciceronisque nonnulla selectissima addiderat. Hanc bibliothecam semper circumferre, cæteros libros apud amicos relinquere, amicorum libris bona fide uti, charus omnibus, grauis nemini. Natura negligentior, ut solet ferè hoc genus hominum, ac paulo inciuilior, in conuiuijs præcipue, citra tamen cuiusquam offensam, habitus est. Cogitabundus enim mensæ inniten

nitens ungues demordebat. Nemo unquam illum adijt, qui non eruditior abierit. Puellas (ut hoc quoque addam) amare se nonnũquam simulabat, uerum nunquam deperijt. In harum gratiã, patria lingua, amatoria quædam carmina scripsit elegãtissimé, quę puellis præsentibus, primarijsq; amicis, uoce & testudine modulatissime canebat. Huiusmodi cãtionibus animum intentiore studio grauatum, interdum remittebat. Ne perpetuo peregrinaretur, doctissimus princeps Ioannes Camerarius Dalburgius Vangionum Antistes, quem in Græcis literis discipulum habuerat, sua liberali humanitate, solus impetrare tandem potuit, cum hoc & Vormaciæ & Heidelbergæ, ad ultimum usque uitæ actũ uixit coniunctissimè. Multas pręclaras orationes & in Academijs frequentibus, & coram maximis Christiani orbis Monarchis, non minore prudentia quàm facundia habuit. Erat enim uir ualdè prudens, liberæ ueracissimæque linguæ. Iocis eruditis gaudebat plurimum, scurrãtem nemo audiuit unquam. Quum iam in ipso uigore ætatis, non procul à quadragesimo anno abesset, & eruditionis eloquentięque gloria, per Germanias, Gallias & Italiam, ab optimis quibusque celebraretur, non ignorans uir uerè pius, ut re Christianus, illud Platonis, Omnem scientiam magis obesse q̃ prodesse, si desit scientia optimi, magno animi ardore, sese sacris literis addixit. Has nocturna, has diurna uersare manu, delicias suas ducebat, in solis his, uenam scientiæ & intellectus, imo fontem aquæ uiuæ salientis in uitam æternam, se reperisse gloriabatur. Verum, ut erat iudicij exactissimi, ad sacras literas penitius intelligendas, sanctæ Hebreæ linguæ cognitionem necessariam esse facile intellexit. Quare nactus Iudæum huius linguæ utcunq; peritum, paucis mensibus tantum promouit, ut aliquot psalmos Dauidicos in Latinam linguam, citra culpam, uerterit. Iam totus uidebatur alius factus. Immutauerat enim cor eius uerbum Dei uiuũ & efficax. Iam Christum IESVM spirabat animus, loquebatur lingua, manus scribebat, & ecce addest ipse Christus, qui cõsecratum sibi pectus, ex hoc errorũ pelago in ueræ sapientiæ portum, & primæ ueritatis arcem, transuecturus erat. Correptus itaque febribus, etiam priusquam medicorum auxilia aduocarentur

se totum Christo seruatori commendauerat, superante&#x0;q; ui morbi, animam suam, Christiana alacritate, uitæ datori Christo reddidit, nondum quadragesimum ætatis excedens annum. An. Do. Millesimo, Quadringentesimo, nonagesimo, ingenti studiosorũ oĩm mœrore Heidelbergæ in Franciscanorum templo sepultus est. Omnes studiosos & doctos colebat & honore prosequebatur, imprimis autem ornatissimum uirum Adolphum Occonẽ Frisiũ, ciuitatis Augustanæ medicum, quem & bibliothecæ suæ hæredem scripserat. Vuesselum Ganssortium, qui lux mundi dictus, conterraneum suum, Rodolphum Langium, nobilem illũ canonicum Monasterieñ. Iacobum Barbirianum Musicum nobilissimum, Alexandrum Hegium, pręceptorem meum, quẽ gręcas literas docuerat. Memini me audire ab Hegio quum quosdã natu grandiores ad literarum studia hortaretur, & ne desperarẽt admoneret, Ego (inquit) liberalium artium magister, & quadragenarius, tum quoq; barbarus, perueni ad Agricolam adolescentem præceptorem meum, à quo quicquid in latinis & græcis literis scio, aut alij me scire credunt, didici. Libet hic adscribere, clarissimũ encomion, quo Agricola noster, à nunq̃ satis laudato uiro D. Erasmo Rot. posteritati commendatus est, ut habeat delicatus lector, quo palatum, meæ dictionis humilitate, nauseans, tanti oratoris ac theologi grandiloquentia reficiat. Quid cõmune, inquit, cani cũ balneo? Hoc equidem adagium eo lubentius refero, quod mihi refricat renouatq; memoriam pariter ac desyderium Rodolphi Agricolę, quem ego uirum totius, tum Germanię tũ Italiæ publico summoq; honore nomino, illius, quæ genuerit, huius, quæ literis optimis instituerit. Nihil enim unq̃, hoc cisalpinus orbis produxit, oĩbus literarijs dotibus absolutius, absit inuidia dicto. Nulla erat honesta disciplina, in qua uir ille, non poterat cum summis artificibus contendere. Inter Græcos græcissimus, inter Latinos latinissimus, in carmine Maronem alterũ dixisses, in oratione Politianum quendam lepore referebat, maiestate superabat. Oratio uel extẽporalis, adeo pura, adeo germana, ut nõ Frisium quempiam, sed urbis Romanæ uernaculum loqui contẽderes. Eloquentiæ tam absolutę, parem adiũxerat erudtionem.

Phi-

Philosophiæ mysteria omnia penetrauerat. Nulla pars Musices quam non exactissimè calleret. Extremo uitę tempore, ad literas Hebraicas, ac scripturam diuinam, totum animũ appulerat. Atq; hæc conantem, fatorum inuidia uirum terris eripuit, nondum annos natũ quadraginta. Extant paucula quædam illius monimenta Epistolæ quædam, carmina, item uarij generis, Axiochus Platonis latinus factus, Isocrates ad demonicum uersus, tum una atque altera oratio habita in publico scholasticorum Ferrariensium coetu, Nã illic & didicit & publicè docuit. Latitant apud nescio quos cõmentarij Dialectices. Verterat & Luciani dialogos aliquot, sed ut ipse erat gloriæ negligens & pleriq; mortales rem alienam sane q̃ indiligenter curare solent, nondum in lucem emerserunt. Quanq; hæc ipsa, quæ extant, tametsi ne ædita quidẽ ab ipso, plane diuinitatem quandam hoĩs prę se ferunt. Verum ne uidear homo Germanus, immodico patriæ studio cœcutire, Hermolai Barbari Veneti, de eo epitaphiũ subscribam, elegãtissimum profecto & de quo dubites, utro sit dignius, ipso ne qui scripsit, an hoc quem eo exornauit. Est autem huiusmodi.

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum,
　　Agricolam Frisij spemq; decusq; soli,
Scilicet hoc uiuo meruit Germania, laudis
　　Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Quæso quid nostro Rodolpho potuit amplius, aut omnino magnificentius contingere, quàm testimonium tam splendidum tam plenumq; idque redditum non uiuo sed iam uita defuncto, ne quis ab amore magis, quàm à iudicio profectum causari possit, Deinde ab eo uiro, qui non solum Italiam suam, uerũ etiam omne sæculũ hoc nostrnm illustrarit, cuius tanta est apud oẽs eruditos autoritas, ut impudentissimum sit ab eo dissentire, tam insignis in restituendis literis utilitas, ut aut à literis omnibus alienissimus, aut certe ingratissimus habeatur, apud quem Hermolai memoria non sit sacrosancta. His itaque tam plenis tamque absolutis uiri laudibus, equidem fateor, me peculiarius etiam atque impensius fauere, quod mihi admodum adhuc puero, contigit uti præceptore, huius discipulo, Alexandro Hegio

Vuestfalo, qui ludū aliquando celebrē oppidi Dauentriensis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri, utriusq; linguæ prima didicimus elementa, uir (ut paucis dicam) præceptoris sui simillimus, tam inculpatæ uitæ, quàm doctrinæ non triuialis, in quo unum illud uel Momus ipse calumniari fortasse potuisset, quòd famæ plus æquo negligens, nullam posteritatis haberet rationem. Proinde si quæ scripsit, ita scripsit, ut rem ludicram haud seriam egisse uideatur. Quanquam uel sic scripta, sunt eiusmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur. Itaque in hanc digressionem non temere sum expaciatus, non ut gloriose Germaniæ laudes iactarem, sed ut grati discipuli uicibus fungerer, & utriusque memoriæ debitum officium utcunque persoluerem, propterea, quòd alteri, ueluti filij debeam pietatem, alteri tanquā nepotis charitatem. Hactenus D. Erasmus, cuius sententiæ. Petrus Montanus, Philosophus Platonicus & Poëta Satyricus, his uerbis subscripsit. Agricola, quem solum ex Germanis scriptoribus, insolenti Græciæ aut procaci Italiæ obijcere possumus. In oratione enim pedestri, mihi effinxisse uidetur sonum Lactantij, lenitatem & rotunditatem Plinij, lumen Senecæ, Tullianam quoque redolet ubertatem, & acumen ostentat Quintiliani, uehemētiamque & obliquitatem Cypriani referre uidetur. Indicem librorum eius non opus est ut subtexam, quum in omnium eruditorum manibus uersentur. Vnum, non possum non addere. Diuinum illud opus de inuentione Dialectica, laudabili quodam astu eruditissimi uiri Alhardi Amsterodami, è tenebris & cæco carcere, cui Dauentriæ, à Iacobo Fabro inclusum erat, ereptum, ac Louanij æditum. Primus liber ipsius Agricolæ manu scriptus, in marginibus multa addita habebat, quæ in operis contextum transferenda erant, in ipso uero cōtextu, multa inducta, multa deleta, quædam minutissimis lituris potius quàm literis annotata, cōiecturis ac diuinatione assequi oportebat. Quare ego precibus doctissimorum uirorum. Martini Dorpij, Iohannis Neuij, Iohannis Paludani, Hadriani Barlandi, in studiosorum omnium gratiam eum laborem subij, ut primum librum, ordine quo nūc legitur, descripserim. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo deci

decimo quarto, additis duobus ad lectorem uersiculis.

Te docet, atque alios per sæcula multa docebit,
Viuit an oppetijt, Frisius. Agricola

Posteriores duo libri, alterius cuiuspiam manu descripti, castigatore Dorpio, excussi sunt. Immortales huius operis Rodolphique laudes, non alijs, quàm D. Erasmi Roterodami uerbis finiam. De locis (inquit) accuratissime nostro sæculo scripsit, uir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola. Scripsit autem axactissima cura, phrasi uero, qua nihil esse posset expolitius, sed acumina quædam affectata, uelut de prima materia, ac digressiones, quibus nunc à Bœotio, nunc ab Aristotele, nunc ab alijs, magna quidem subtilitate dissentit, satis declarant, illum hoc opus non cudisce pueris edisc cendum, sed eruditis uiris admirandum.

VVESSELI GANSFORTII PHRISII VITA, EX PRIMO LIBRO

Illustrium uirorum inferioris Germaniæ, Gerardi Geldenhaurij Nouiomagi.



ESSELVS cognomento Gansfortius, à Græcis autem dictus Basilius, Frisius, Groningæ, quæ Ostfrisiorum ciuitas est, honestis parentibus natus, ab ineunte ætate literis, pro sæculi illius barbarie operam dedit, magno & assiduo, & uix credibili labore hoc assecutus est, ut non solum Theologicæ maiestatis laureã mereretur, sed etiã Iurecons. & medicis doctoribus annumeraretur. Profectus in Grætiã, Aristotelem Græcum & quicquid eo sæculo in Græcia docebatur, summa diligentia didicit. Inde reuersus, Italiæ Galliarum Germaniæque academias inuisens, disputando, docendo, tantam nominis claritatem adeptus est, ut lux mundi iam uulgo, diceretur. Et cũ Platonicæ doctrinæ ut diuinioris, & Christianismo proximioris, summus admirator esset, acerbius interdum in Aristotelem inuectus est, quàm teneræ scholasticorum doctorum aures ferre possent, hinc factum est ut à nonnullis magister contradictionis appellaretur. In disputationibus Theologicis magnos titulos Doctorum contemnebat, solis diuinis literis firmiter adhęrens. Quare si quis forte inter disputandum, ut fieri solet, ei obijceret, hoc dicit Doctor sanctus, hoc Seraphicus &c. ipse respõdere solebat: Thomas fuit Doctor, quid tum postea? & ego doctor sum, Thomas uix latine intellexit & unilinguis fuit. Ego trium principaliũ linguarum mediocrem peritiam assecutus sum. Thomas uix umbram Aristotelicam uidit, Ego Aristotelem græcum in ipsa Græcia didici. Hac loquendi libertate incitauit aduersus se prædicatorij ordinis fratres hæreticæ prauitatis inquisitores, qui eo tempore aduersus Ioannem Vesaliensem Theologum, & insignem concionatorem tyrannidem suam exercebant. Sed quo minus palam Vuesselum persecuti sunt, in causa fuit reuerendiss. & illustrissi-

mus princeps Dauid à Burgundia Vltraiectinus Episcopus, cuius medicus tũ Vuesselus erat. Versabatur crebro apud Canonicos quos regulares uocãt, mõtis S. Agnetis, non procul ab opido Suolla, ibi cũ neque horario neq; rosario uti eum obseruassent. Interrogatus utrum nihil oraret, Respondit se quidem gratia Dei ad hoc conari, ut perpetuo orare posset, nihilominus tamen singulis diebus orationem dominicam semel recitare, sperareque eam orationis puritatem, & in anno tantum semel Dominicam orationem legeret. Ingrauescentibus annis in patriam suam rediijt, ibiq; scribendo suo more & docendo & sibi & suis uixit. Huc ad eum salutandum cum uenisset Ioannes Ostendorpius praeceptor meus tum adolescens, deque studiorum ordine consuleret. Inter caetera studiosum eruditumque adolescentem, hortatus est ut ueteres scriptores tam sacros q̃ prophanos neotericis scolasticis, Theologis praesertim praeferret, futurum enim breui, ut doctores illi irrefragabiles, cucullati, atrati & albati, in ordinem sese dignum redigerentur. Cum iam nonagesimũ annum supergressus esset, integro uisu & auditu, ita ut nunquam specillis usus sit, minutissimasque literas & cõmode legeret, & pulchrẽ ipse pingeret, in morbum incidit. Quumque eum quidam doctus amicus inuiseret, utque ualeret interrogaret. Respondit se pro sua aetate & morbi molestia utcunq; ualere, sed unum admodum molestũ sibi esse, quòd uarijs cogitationibus & argumentationibus circũ actus de ueritate Christianę religionis subdubitare inciperet. Obstupescebat ille ac hortari coepit, ut omnes cogitationes suas in Christum seruatorem unicum reijceret. Sed cum huiusmodi admonitionem ei molestiorem sensisset, tristis tum abijt. Atq; post unam uel alteram horam rediẽtem ad se cum Vuesselus uidisset, alacri animo, & quantum ualetudo sinebat, exultans dixit. Gratias ago Deo, omnes illae uanae disputationes abierunt, & nihil scio nisi Iesum & hunc crucifixum, Et in hac cõfessione animam Deo reddidit. Decessit ex hac luce, An. Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo, in die sancti Francisci. Sepultus Gronyngae in Monasterio, quod Spiritualium uirginum dicitur.

PE-

PETRI MOSELLANI PROTEGENSIS VITA A IVSTINO GOBLERO LL. Licentiato congesta ad Ioannem Fichardum Doctorem & Aduocatum Francphurtensem amicum syncerissimum.



Ne forsitan & ego Ficharde doctissime istorum morem aut sequi aut probare uidear, qui ut aliquam rem suscipiant, alios quidem adhortantur sedulò, cæterum ipsi nihil quo id pacto faciant, uel suggerunt, uel subministrant, duxi iam te ut aliàs, nō solum admonere, sed & nostro aliquo exemplo confirmare, ut quam in describendis publicādisque illustrium uirorum uitis operam suscepisses, eandem me hortatore urgeres atque absolueres. Neque enim lucernam illam tuam eiusmodi pulcherrimi facinoris, ut ardeat, emungam tantum, uerumetiam quodcunque hoc olei, ut magis ardeat, infundam, exponendo obiter tibi ac transmittendo optimi & honestissimi uiri Petri Mosellani Protegensis uitam, à me sane his contractioribus horis, leuiorique manu congestam uerius quàm compositam. Quæ si non quidem indigna prorsus tibi uidebitur, ut catalogo atque ordini tuo inseratur, efficere poteris, ut & pro mea summa ac singulari erga illum pietate, & studio erga te meo incredibili, aliquis inter tuas uitas locus ipsi deputetur. Quanquam in ea sum opinione, ut putem iā pridem sua uirtute ac meritis consecutum esse Mosellanum, ut uel me tacente in celebrium uirorum ac memorabilium numerū recipiatur, ipsumq; ciuitate, quemadmodum bonum ciuem donauerint.. Neque enim ullo pacto obscura eius uoluntas fuisse aç studium uideri potest in prouehendis amplificandisque melioribus literis, cui tam nihil sane ad eam ipsam rem quàm uitam ac fati benignitatem defuisse censendum est. Ego uero in præsentia non uerbis attollere illius laudes, quod meis uiribus maius quid

dam

dam est conabor, sed simpliciter & nudam rem ipsam ostendere contentus ero. Proinde sic habe mi Ficharde, natum esse Petrum nostrum loco humili atque obscuro, in quodam Treuirorum ac Mosellæ pago, cui nomen Proteg, ad quintum ferè lapidem supra Confluentes, tenuibus ac humilis fortunæ parentibus, honestis tamen atque probatis moribus. Patri nomen erat Ioanni, Matri uero Catharinæ. Mulier quidem sic satis fœcunda, ut quæ quatuordecim liberos, quorum Petrus natu inter fratres minimus erat, sustulerat. Pater autem præter uinearum culturã etiam tonstrinam & mercaturam exercens, filij indole ac probitate adductus, ipsum studijs addicere non cessauit, impendiaque ad hæc subministrare minimè recusauit, quanquam is adhuc illo puero existente è uiuis sublatus est. Quo circa res ista in uiduæ matris arbitrium ac potestatem deuenit, quæ cum filium à schola & literis abstrahere & ad domestica munia urgere uellet, his remoratum aliquandiu frater in Beylsteyn denique scholæ ac studijs reddidit, Luceburgumq́ mittit. Verum quum in plagiariũ potius, quàm in peritum ludimoderatorem, nimirum durum illius gentis hominem, incidisset, tamdiu sustinnit imperium, donec opportune per amicos Limpurgum (est id oppidum Lani) mitteretur, ubi etsi commodiorem ludum nactus esset, tamen inopia laborans, facilè Treuerim se transferri passus est, functurus forte, in summa æde, Choraulis munere. Hinc non longẽ pòst Coloniam Agrippinam, Ioannis Schade aui sui beneficio atque uiatico instructus, ablegatur, seque ibi in disciplinam ac familiaritatem doctissimi uiri Ioannis Cæsarei, qui tunc Coloniæ Græcas & Latinas literas profitebatur, insinuauit, à quo & Chrysoloræ grammaticam, & Luciani dialogos aliquot hausit, atque ita in eo studio processit, ut & Homerum, & alios quosque bonos authores summo ardore cognoscere laboraret, Habebat ea urbs illo tempore præter Cæsarium etiam alios uiros doctissimos, ac notissimos, præsertim Buschium & Sobium, qui tunc ambo Coloniæ publico stipendio elegantiores Musas docebãt, quorum quidem beneuolentia, & obseruantia Mosellanus nihil habuit prius. Hos igitur cum literarum studio mirè flagraret, diligẽ

Io. Cæsarius. *Buschius.* *Sobius.*

ter audiuit, suique expectationem indies maiorem ac probabiliorem reddidit, ita ut & doctissimis uiris eius conatus arriderent, & uotis propinquorum perpulchrè responderent. Degustata igitur Dialectica, discendi ac docendi magistra, iactoque in graecis literis, quas cum latinis ex Marci T. Ciceronis praecepto coniungendas putauit, fundamento, ad munus docendi comprimis inter aequales aspirauit, utilissimum sibi fore ratus, si eorum, quae ipse didicisset, docendo alios periculum faceret. Ea namque re sibi euenire existimabat, ut & alijs plus prodesset, & maiorem sui profectus utilitatem, eo ipso exercitationis genere consequeretur.

Casparus Bornerus. Hoc igitur docendi munere, cum & gratus esset, & iam florere coepisset, suas quidem inde extulit alas, Lypsiamque concessit, ubi primum inita cum Casparo Bornero uiro in Mathematicis nō uulgariter uersato, amicitia, perductus est atque persuasus huius consilio & auctoritate ad suscipiendam conditionem, nauandamque nouae scolae operam, quam Ioannes Aesticampianus grauis cōprimis uir atq; eruditus, Freiburgę apud Lipsenses instituisset. Qua in re illi cum haud grauatè obsequeretur, summa cum laude idipsum ac omnium admiratione praestitit. Nec uero longè pòst migrare aliò, ubi & frequentia maior esset, & locus celebrior, constituit. Qua eius quidem uoluntate perspecta, effectū est, per amicos uiros ornatissimos, ut publicum ei docendi munus in Academia Lipsensi, è communi aerario decerneretur, quod & illustris. Ducis Georgij beneuolentia, & celebrium hominum cōmendatione non difficulter impetrauit, atque obtinuit, factumq; est ut post Richardi Croci discessum unus Graecae linguae docendę prouinciam magno omnium applausu & congratulatione subiret, eaque cum laude ac studentium profectu administraret, ut statim summis eius loci professoribus par, ne dicam superior haberetur, & quidem ad decennium, adeoque ad extremum uitae diem cōstantissimè exequeretur.

Richardus Crocus.

Ratio studiorum Mosellani. Erat autem Mosellanus initio hanc potissimum studiorum ac uitae rationem rectissimo cōsilio ingressus, etiam penè puer, ut nihil preciosius tempore duceret, idcirco & noctis multum in studia insumebat, & summo manè, Homerum suis cōtubernalibus enarrabat, Seruabat & hoc, ut an

temeridianum

temeridianum tempus grauioribus & Græcis literis, pomeridianum leuioribus & Latinis daret. Bis primum aut etiam ter in die pulbicè prælegebat, bis item uel sæpius priuatim, reliquum uero tempus lectioni, scriptioni, ac stilo dabat, ciuilitati nonnihil relinquens. Theodori Gazæ grammaticæ Diomedis Latinam coniungebat, Aristotelis Dialectica purè tractabat. Quosdam Platonis, Ciceronis, & Plutarchi libros, ipsumque Suidam mira dexteritate atque facundia auditorio suo proposuit. Isocratis orationes quasdam, Demosthenis item interpretari aggressus est, non sine magna studiosorum utilitate ac laude. Verum ne his tantũ ceu prophanis delectari Christianus homo uideretur, Prudentium comprimis pium poëtam cum Diui Augustini de doctrina Christiana libris, Militem Erasmi, Ioannis euangelium, ac illam pauli ad Romanos epistolam publicè cognoscendam atque explicandam suscepit, maximi profecto faciens diuinarum literarum maiestatem, quas quidem è suis fontibus potius quàm ex turbulentis quorundam riuulis hauriendas esse putauit. Itaque ad hoc studium deinde omnem operam & industriam contulit, eo summam cogitationum suarum referens, ut nõ modo impensissimè illud dilexisse, sed & optimo consilio adiuuasse & excoluisse uideretur. Ac ne etiam illotis quod dicitur pedibus, aut temere, ut hodie permulti, in artem illius præclarissimæ disciplinæ inuaderet, omnes liberales artes atque linguarum cognitionem sibi uelut in auxilium adhibuit, ac sic quidem Basilij quædam, non nulla Chrysostomi, plura Nazanzeni honestissimo suscepto labore, è Græco in Latinum sermonem uertit, ac ita uertit, ut ob id laudis plurimum & gratiæ ab eruditis emeruerit ac reportauerit. Inscripserat eos quidem labores suos, ut dignum erat, summis ac maximorum ordinum uiris, Basilij opusculum de solitaria uita, illustri Domino Adolpho Mersburgensi Episcopo, principi Anhaldi. Chrysostomi concionem aduersus auaritiam, generoso Sigismundo Lobdouicæo & Hassistenio Baroni. Nazanzeni libros quinque de Theologia, reuerẽdissimo dño Richardo Gryffenda Archiepis. Treuirensi, ac principi electori, mœcenati meo

meritissimo, à quibus quoque horum officiorum causa, unicè & complexus est, & muneribus amplissimis cohonestatus. Quorũ quidem operum præstantia ac magnitudo me tamen non deterret ab enumeratione aliorum, etsi in speciem fortasse leuium, sed non minus, quàm illa & laboris & ingenij indigentium, cuiusmodi est nobilissimæ illius orationis Isocratis pro pace uersio, Aphthonij item, & Lucianicorum dialogorum Charontis & Tyranni traductiones, quæ sanè Græcę linguæ peritis displicere non possunt. Ad hæc quasdam non protritas aut uulgares orationes conscripsit, ac habuit ipse, sed quæ à doctis hominibus mirificè adamantur & amplexũtur, pro linguarũ studio contra Barbaros, de concordia in publicis scolis retinenda, deque ratione in re theologica disputandi. Nec præterea fugiunt studiosos reliqua illius etsi minutiora, tamen eius generis scripta, ut eiusdem authoris esse adpareant, nimirum commentarij illi in Quintilianum & Gellium, figurarum tabulæ, Pœdologia, Rhetorices progymnasmata, & quæ daturus erat plura & absolutiora uir optimus ac disertiss. nisi ante diem è medio nobis fuisset manibus, proh, raptus auaris. Erat enim ea mente atque animo cum erga meliora tum maximè sacra studia parato atque illustri, ut ea sanè si quis alius, propagasset quàm latissimè, ni fato ineuitabili ac plane immaturo, quod optima ferè statim subtrahit, secus uisum fuisset. Itaque tanti uiri occasum amici & docti uiri omnes, præsertim uero discipuli (quorũ copiosissimum numerum, si non breuitati magis quàm prolixitati studerẽ, recensere possem) dolentissime ferebant. Fuit autem ea comitate Mosellanus, eo ingenij candore ac modestia, ut facilè quemuis in sui amorem pelliceret, quin & insinuare se in eius amicitiam plerique etiam illustrissimi uiri laborabant, nec de suo erga illos, quos semel amplexus erat, animo quicquam immutabat. Fuit item moribus honestissimis atque ingenio eximio, fœcundo, ac pene diuino: quo facile factum est, ut si quæ uelut corporis pręstãtia, opes atque diuitiæ ei deesse uiderentur, minus requireres, cũ & hæc à priscis philosophiæ studiosis propemodum neglecta sint, & non in ueris bonis habeantur, neque ob ea unquam quisquam fuerit melior existimatus. Quamobrem etiam

Mosellani scripta.

ingres

ingressus est eam potissimum (ut dixi) studiorum rationem, atque secutus, quæ uidebatur esse & libero dignior, & cæteris multo quietior, eorum uidelicet studiorum rationem, quæ omnibus seculis iucundissima pariter ac liberalissima appellata sunt, & multiplicem utilitatem ac fructus uberrimos generi humano conferre solent. Erat imbecilliori corpore, ac lateribus non satis ualẽtibus, statura breui ac humili, uoce debili magis quàm sonora, acuta tamen, facie subfusca, cæsioque (quod de Minerua Homerus prædicat) aspectu, subcrispo & nigro admodum capillo. Ingenio omnino graui, & quidem præter ætatem canescente, ex quo etiã accidit ei id, ut ætate ante tempus ingrauescente atque affecta esset. Somno parcissimo, nec cibo nec potioni unquam indulgebat. Circa uenerea & uoluptatem continentissimus, ut cuius hic Pythagoræ uersiculus semper obstreperet auribus.

γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος.

Nullum homini ocium, nulla cessatio, nulla laboris prolixa fuit intermissio. Sermonis atque colloquij suauissimi, qui neminem tædio aliquo adferret audiendi. De studijs ac pietate creberrimè disputabat. Optimos quosque & Græcos & Latinos authores nulla habita pecuniæ aut sumptuum ratione, maxime ex Aldina litera sibi comparauit, quotquot autem librorum cõgesserat, ita perlegit, ut multa signaret, plura edisceret, nonnulla etiam describeret, indicant hoc hodie quidem illius codices. Erat Metaphorarũ (ut obiter etiam id indicem) obseruantissimus, earumque ex Cicerone alijsque optimis scriptoribus magnum aceruũ collectarum, instar Adagiorum Erasmi, editurus opus, si annos aliquot superuixisset, quod partim aliunde cognoui, partim ex ipsius annotatis in frontispicio ac marginibus suorum codicum animaduerti. Porrò à nulla re tam abhorrebat natura, atque à turbis, & tumultu, unde quoque nihil tam execrabatur, quàm dissensiones & bella, nihil exoptabat magis, quàm & se placidam posse uitam ducere, & publicæ tranquillitati (quod quis facilè ex ipsius literis ad illustrissimum ducem Friderichum Saxoniæ Electorem intelliget) consultum esse. Itaque pacis artes & alumnas, bonas literas, propensissimo animo ac studio semper complexus est. Quæ

cum sæculo illo ualdè iacerent neglectæ atque oppressæ, essentque pauci qui dignam illis manum operamque adhiberent, summis uotis ac laboribus eo adspirauit, ut pro sua uirili quiddam illis contulisse uideretur. Itaque quum eorum causa tam multa esset perpessus atque perfunctus, breui scolam ita instituit, ut ueræ ac germanæ eruditionis quasi officina quædam existeret, ex qua nimirum permulti ornatissimi atque doctissimi prodiere uiri, suum etiamdum Mosellanũ agnoscentes præceptorem, inter quos facilè primas & meretur & retinet amplissimus uir & clarissimus dominns Iulius Pflug præpositus in Zeutz, & canonicus maioris ecclesiæ Moguntinensis, qui etiam singulari pietate, & disertissima oratione præceptoris sui charissimi funus prosequutus est.

Ex eadem schola prodijt quoq; nobilissimus iuuenis Christophorus à Carlouitz, ea dicendi arte laudeq; prædìtus cum insigni morum facilitate coniuncta, ut facilè statim Mosellani agnoscas discipulum, cuius quidem beneficio Laurentij Vallæ Antidotos libros multo quàm antea correctiores, sibique ipsis planissimè restitutos accepimus, Atq; huius similes permultos alios cum equestri ordine, tum dicendi facultate ornatissimos iuuenes (à quorũ nominibus iam lubens abstineo) Germaniæ nostræ dedit Mosellani institutio ac eruditio, qui nimirum eam uitæ atque studiorũ rationem institutionemque iudicauit esse optimam & præstantissimam, quę rectas disciplinas cum honestissimis moribus copularet, Queadmodum ipse in epistola ad reuerendũ patrem Martinum à Lochau testatur his uerbis: Deum, quem nihil latere potest, mihi aliquando animam agenti, & cum morte luctanti, propitium adesse nolim, si non iam inde à pueris, non sine summo demandi animi labore, nihil tam caui, quam ne alicuius uel lacessentis famam mordicus arriperem, quin omnibus quæ mihi non adeo contemnenda, si anniti uoluissem, contigissent, posthabitis honoribus, copijs familiaribus ac communibus humanæ uitæ uoluptatibus, hoc unum sum subsequutus, ut optimi cuiusque & doctissimi calculo probatus, tandem mentem disciplinis his elegantioribus à mundi sordibus repurgatam, Christo Iesu ueræ

Christophorus à Carlouitz.

ſapientiæ fonti, diuinæ doctrinæ ſcatebris irrigandam, ſupplex offerrem. Hoc interdiu cogitaui, hoc noctu ſomniaui, huc manibus pedibuſque contendi, huc omnibus aſpiraui uotis, in hoc otium, & negocium omne collocaui, ac denique omnes ingenij neruos intendi, uidelicet, ne deſit quod euangelico illi diuiti, rationes ſuas olim explicanti, pro talenti quantulicunque mihi crediti, uſura, rependere poſſim. Nullus alius uitæ meæ unquam fuit ſcopus. Nam, ſi ad uoluptates, ad opes, ad honores, ad potentiã anhelaſſem, longè alia uia fuiſſem ingreſsus. Nec operam hic luſi omnem, nec caruit ſucceſſu conatus. Quam quidem uitæ atque ſtudiorum rationem ac modum cum ipſe ubique promptiſsimo animo tum docendo tum uiuendo ſequeretur, breui tempore apud optimos quoſque eam famam & gloriam conſecutus eſt, quam alius mortalium nemo. Cœperunt eum maximi quique uiri ob ſingulares illas ac raras uirtutes impenſiſsime amare atque complecti, eius ſcripta ſic in manibus habere, ſic fouere, ſic deoſculari & comprimis à ſummo illo & clariſsimo omnium ſæculorum Eraſmo Roterodamo, ut ſuus etiam hæres futurus erat, ſi parciſſent animæ fata ſuperſtiti. Percharus erat Philippo Melanchthoni, charus Eobano Heſso, charus Ioachimo & Micyllo celeberrimis huius ætatis & incomparabilibus literarum heroibus, qui ipſum & in uita dilexerunt plurimum, & poſt obitum honorificentiſſimis officijs ac ſententijs ſuæ beneuolentiæ uelut teſtimonijs, quæ publicè extant, decorarunt & dolentiſsime proſecuti ſunt. Moritur autem in ipſo ætatis flore Moſellanus immortale literatorum hominum decus, uix annum unum & triceſimum egreſſus, cum bis rector atque moderator Lipſenſis Academiæ fuiſset, morbo atque languore admodum diuturno, qui ipſum plane confecerat, nec niſi paulo ante emigrationem quieſcere paululum ac dormire ſiuit. A quo deinde ſomno experrectus, ſtatim animam exhalauit. Itaque factum eſt, ut cum Philippus Melanchthon peregrè reuerſus Moſellanũ ipſum iam inuiſere, ac ueteris amicitię nomine ſalutare uellet, defunctus nũciaretur, ſuo profecto & aliorum bonorum uirorum ſummo &

acer-

acerbissimo cum dolore. In cuius quidem beneuolentiæ atque amoris significationem & testimoninm pro epitaphio Philippus elegantissimos inscripsit uersiculos græcos. Alij quoque uiro optimo Mosellano iam defuncto officia suæ erga illum pietatis & obseruantiæ testificati sunt, pręsertim Iacobus Micyllus uir ad unguem factus, elegantissimo elegiaco epicedio. Ioachimus Camerarius Græco & Latino epigrammate. Ioannes Musslerus Ottingēsis oratione funebri. Denique ipse dominus Iulius Phlug perennis ille Mosellani amicus, præter illam suam funebrem orationem disertissimam, etiam pro aris templi Diui Nicolai Lypsiæ monimentum in præceptoris sui charissimi sempiternam memoriam extrui, atque in æs incidi fecit, hoc carmine, quod equidem nuper Misniam & Saxoniam peragrans describebam, D.O.M.

Conditus exiguo iacet hic sub marmore Petrus,
Nobile cui nomen clara Mosella dedit.
Attica quo primum hic audita interprete lingua,
Cum docuit Graio Teuthonas ore loqui.
Et Latiæ ueterem lingua reuocauit honorem,
Natiuumque illi reddidit arte decus,
Cuius eloquium uiuo Cicerone probasset
In medio quondam Roma diserta foro.
Magna etiam coluit pietate oracula Christi
Et sanctis studijs consona uita fuit.
Ipse sua uiuens quod spe uotisque petebat,
In gremio ut uiuat, da bone Christe tuo.
Iulius Phlug præceptori charissimo F.C.

Hæc testimonia Ficharde, atque ornamenta clarissimorum hominum tametsi magna sunt, tamen adhuc inferiora esse, quàm pro Mosellani meritis, cognoscuntur. Qui uir præter nobilem illam uariarum linguarum, omniumq; liberalium artium doctrinam, tanta quoque innocentia fuit, ut ne quidem ab iniquissimis hominibus lęsus illatam iniuriam amarulentius retuderit, sed propemodum nescius etiam doctissimos & nobilissimos suæ illius innocentiæ, quam omnibus triumphis uictorijsque anteferebat, patronos ac propugnatores habuerit, Erasmum Roterodamum, & Petrū

Suauen

rum equitem, ne quos alios suæ amplitudinis & gloriæ defensores recenseam. Exemplum igitur tanti uiri imitentur omnes, præsertim mansuetioris Musæ sectatores, ne non modo ad quaslibet calumnias non rapiantur statim, uerum etiam illatam iniuriam patienti æquoque animo excipere ac ferre assuescant, cum & innocentiæ suus honos deesse non possit, & liberalius ubique habeatur ferre iniuriam potius quam propulsare, ne dicam inferre. Proinde quando iam alius quem cum Mosellano, ut pace omniū dixerim, citra impudentiam componas in hisce regionibus uix seculis iam aliquot extitit quisquam, minimē committendum fore arbitratus sum, ut incomparabilis uiri memoria & recordatio, nō mihi tātum, sed omnibus qui literarum sacra colimus, non sacrosancta haberetur. Te autem mi Licharde, cum id animo tecum agitares, atque ita nuper instituceres, ut laudatissimas quasque honestiss. uirorum uitas, præsertim qui superiori ætate, & post renatas literas floruissent, cōquireres, in studiosorum iuuenum utilitatem & exemplum publicandas, precor ut si hanc lucubratiūculam aut Mosellani nomine fortassis, aut tuo fauore indignam arbitreris, eam nequaquam choro illi tuo inseras, sed qua digna est perire, & in spongiam cadere paciaris. Sin autē hæc uoluntas tibi, hoc officium meum non obscurū uidetur, & forte probatur, fac te quidem ipso teste hoc me debitum Mosellano præstitisse cæteri etiam mortales cognoscant. Vale uir clarissime. Dat. apud Treuiros Mensis Martij die prima Anno. 1536.

CHRISTOPHORI LONGOLII VITA.



HRISTOPHORVS Longolius Machliniæ nobili Germaniæ oppido, honesto splendidoque inter suos loco, natus fuit. Quoniam uero eo uiuo non defuere qui eum Parisiensem dicerent, libri etiam ab eo scripti hoc titulo circumferrentur, non ab re erit, quę ipse in altera defensionum suarum, errorem hunc librariorum refellens, de patria sua dicit, hoc loco cõmemorare, ut deinceps qui de hac re dubitãt, ipsi potius Longolio de se, quã alijs credant, eius uerba hæc sunt. Ego P. C. Machliniæ natus sum, Machlinię educatus, Germaniæ linguæ & Cęsarũ ditionis oppido, cũ alijs laudibus multis illustri, tũ uero Philippi & Caroli Hispanię regum incunabulis percelebri, hęc ille. Puer admodũ cũ uix annos 9. natus esset, parentum studio & diligentia, Lutetiam Parisiorum, ut ibi literas disceret, est missus. Neque enim uel id ætatis, propter summam ingenij docilitatem, immaturum censebant, qui in celeberrimo illo literarum domicilio politioribus disciplinis animũ excoleret. Celeriter uero omnibus artibus quibus puerilis ætas imbui solet, ita profecit, ut æquales suos omnes doctrinæ laude longè pręstaret, ex his autem generosissimũ quẽque imitandi cupiditate incederet, Ingenio acri & uehementi prędítus fuit, in quancunque partem se dedisset, atque omnium disciplinarum (quod postea res ipsa declarabat) capaci. Quemcunque scriptorem sibi legendum proposuiset, eum nunquam ferè do manibus, nisi diligenter perlectum dimisit. Neque unquam in eo animaduersum est, aut obscuritate scriptoris alicuius, aut prolixitate deterritum, quo minus totum perdisceret, si modo talem putaret, ex quo fructum aliquem capere posset, Cum autem ea quæ in antiquorum scriptis tradita essent, celerrimẽ perciperet, tũ uero

Philippus & Carolus Hispaniæ reges Machliniæ nati.

uero quę abdita fuere, nemo maiori facilitate eruit. Atq; huic rei testimonio esse possunt multa ab eo pene puero, in C. Plinij de naturali historia libro, scriptoris non ita facilis, & plurimis mendis deformati ingeniosè excogitata & notata, quę postea ipso imprudente & inuito in Gallia fuere edita. Memoria uero tanta fuit, ut ad ea tollenda quæ animo semel insedissent, diuturnitas temporis uix aliquid ualeret. De pluribus & uarijs rebus sæpe interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, non minus promptè de singulis solitus est respondere, ac si eo die ab eo perlecta fuissent. Cuius rei, cum familiariter cum eo uiuerem, in consuetudine quotidiana crebro periculum facere licuit. Hocque in eo magis mirum fuit, quòd cum plurima legisset, omnia autem quæ græce aut latine scripta essent, sibi legenda præponeret, nunquã fere ad metam semper properanti, ad eundem scriptorem reuertere licuit. Si quando de ijs rebus sermo incideret, quæ à diuersis & uarijs scriptoribus tractata essent, cum res ipsę essent eædem, ita tamen oratione solebat distinguere, sua uerba singulis scriptoribus, à quibus ea acceperat referendo, ut non memoriter ea dixisse, in quo sæpe offendi solet, sed de scripto pronunciasse uideretur. Quæ sæpe dum faceret, ita auditorum admirationem incendit, ut eum artificio quodam, non naturali memoriæ bono, uti existimarent. Ad hæc tanta naturæ bona doctrinæque summa adiumenta, eam industriam adhibuit, ut quicquid in literis profecerit, huic penè soli gratia habenda uideretur. Ineunte ætate cum earum rerum cognoscendarum magno studio teneretur, quæ à philosophis tractantur, amici qui eum honoratum magis quàm doctum uidere cupiebant, uerentes ne talium rerum studium, eum longius ab honorum petitione abduceret, magnopere illi autores fuere, ne aliud sibi eo tempore, præter ius ciuile discendum proponeret. Ex eius enim artis studio affirmabant fore, ut celeriter ad honores & ad summam gloriam perueniret. Quorum precibus & hortationibus cũ sibi oĩno parendum esse duxisset, sex annos in eo studio ita consumpsit, ut nullis interim alijs literis, prætérquam oratorijs, quæ maxime etiam artem illam uel ornare uel adiuuare existimantur, operam daret. Vsus est præceptore Philip

Annotata Longolij in Plin.

Longolij memoria.

po Decio celebri Iuris interprete, qui tum Valentiæ in Narbonē si prouincia maximo auditorum concursu qui undique ad eum cō fluebant, ius docuit. Eo uero tempore ita profecit, ut cum postea ab amicis Lutetiam Parisiorum, ut ius ibi exerceret, esset reuocatus, tum agendo, tum respondendo, tantā laudem est adeptus, ut uixdum bienniū in Iurisconsultorū subsellijs uersatus, in Centūuirale illud consilium, quod antea solis senib uel certè ętate prouectis patebat, admodum iuuenis adlegeretur. Quare amicorū uoluntati iam satisfactum putans, tempus adesse putauit, ut animo etiam suo maiorum cupiditate flagranti morem gereret. Itaque C. Plinium cuius lectioni se totum dicaret, delegit, quem uarietate & copia rerum cæteris latinis scriptoribus præstare, ac uelut in unius operis compendio quæcunque à philosophis græcis, pluribus & libris & uerbis tractata essent, mira breuitate collegisse existimauit. Sed cum res ipsæ, quæ quamuis copiosè tractatæ, per se ipsæ difficultatem afferunt, in angustum à Plinio conclusæ, uix spem aliquam sui intelligendi darent, ubi partim necessitate coactus, quòd aliter ea quæ ita concisè tradebantur, intelligere non posset, nisi eadem fusius apud alios tractata uideret, partim magnitudine & uarietate rerum eum inuitante, ut ex uberrimis illis fontibus potius, ex quibus Plinius ipse hausisset, quàm ex illa feculenta aquula illarum cognitionē peteret, aīm ad maiora erexit ut eos etiam scriptores uideret, à quibus illa Plinij emanasse putabantur, in hac uero sententia cum esset, omnes illi Agricolæ, omnes ferè Medici fuere perdiscendi, rerum Romanarum & totius antiquitatis memoria diligenter tenenda. Orbis denique ille disciplinarum, quam ἐγκυκλοπαιδείαν Gręci uocant, euoluēdus, cū nulla fere ars sit, cuius non expressa uestigia aliqua apud Plinium reperiantur. Hæc uero perficere illi multo fuit difficillimum, præsertim græcarum literarum adhuc ignaro & prorsus rudi. Verum nihil horum eum retardauit, ut erat animo semper reluctante difficultatibus, tanque incensus cupiditate, ut philosophorum & aliorum scriptorum mysteria cognosceret. Principio itaq; græcis literis tanto studio tantisque ingenij uiribus incubuit, ut nondum se uertente anno, siue ad philosophos, siue ad oratores se cō

uerteret, ignoratio linguæ nusquam eum ab eorum intelligentia excluderet, eodemque temporis interuallo Græce etiam ad Guilielmum Budæum Gallorum doctissimum epistolas sæpe mitteret. Pari ergo studio atque industria cum quinquennium in græcis scriptoribus legendis perseuerasset, iam lingua ipsa maxime illi familiaris fuit, eademque opera doctos illos scriptores assiduè legendo, uberrimam maximarum rerum cognitionem ex illis hausit. Memor uero ubique cum illos legeret, instituti sui, & cuius causa initio tot sibi scriptores euoluendos sumpsisset, nihil in his omisit, quod ad pleniorem C. Plinij intelligentiam aliquo modo faceret, quin illud diligenter notatum, quo loco & in quo authore legisset, in Plinij libro scriptum relinqueret, ut ante omnia subsidia in hac re, quæcunque ex lectione comparari poterant, tētaret, eādem rationem in recentiorum scriptis legendis seruauit. Quando uero de stirpium natura, multa Plinius traderet, nonnulla etiam de piscibus scriberet, rebus à cognitione huius sæculi ita remotis, ut ne nomina quidem intelligantur, non contentus eorum authoritate, qui aliquid de his scripsere, uoluit ipse uerba rebus accommodare, hisque diligenter inspectis uidere, quo pacto res ipsæ cum antiquorum scriptis conuenirent. Itaque ea causa illi in Narbonensem prouinciam iterum proficiscendi fuit, cum adolesceus antea ibi ius ciuile didicerat, quam quidem stirpiū fertilissimam, piscium etiam abundantissimam, propter illius maris uicinitatem existimauit. In qua quidem peregrinatione librum etiam quem herbarum historiam appellauit, scripsit, Eam uero partem, in qua Plinius terrarum orbis descriptionem complexus est, diligentissimè est persecutus, atq; in hoc etiam oculorum iudicio uti uoluit, amnesque & antiqua oppida, à Plinio descripta, quorum aliqua uestigia manerent, ipse adire. Itaque cum adolescens Hispaniam totam peragrasset, adulta iam ętate, Britanniam, Germaniam, Galliam, Italiam emensus est, statueratq; in Orientem proficisci, nisi Turcorum arma, quibus omnia Christianis hominibus clausa essent, eum ab hoc consilio deterruissent. Quanquam etiam apud homines nostros peregrinando in magna pericula sæpe incidit, Apud Heluetios autem, dum eorum regio-

Guilielmus Budæus.

Herbarum historia.

nem uiseret, nihil propius fuit, quàm ut interficeretur. Quid uero illi acciderit, & quomodo periculum euitauerit, non erit alienum commemorare, quo magis & industria eius cognoscatur, & animus, qui nullo periculo à rerum dignarum inuestigatiõe deterreri potuit. Profectus eò cum duobus familiaribus Gallis, eo sane tempore, quo accepta clade apud Mediolanũ Heluetij à Gallis maximè dissenserũt. Ex comitibus ergo, cum in suspitionem uenisset, speculandi caussa accessisse, pars quædam cohortis Heluetiorum eos aggressa est. Ibi cum aliquãdo repugnassent, neque pares esse potuissent, unus eorum fuga Rhodanum tranatando, uitam sibi seruauit, alter in pugna cæsus, ipse graui uulnere altero brachio accepto, captus & in carcerem abductus est, ubi triginta ferè dies, cum neque medici neque remedij ullius facultas daretur, uulneris dolore magis magisque ingrauescente, in summo mœrore iacuit, donec casu Antistes Sedunensis, qui apud Heluetios dignitate & gratia maximè ualuit, eò uenisset, cuius opem cũ Longolius per literas supplex implorasset, ipse casum uiri ualde miseratus, statim custodia liberauit, adhibitisque medicis, tam diu apud se retinuit, dum à uulnere prorsus sanatus esset, tum equo donatum, & uiatico liberalissimè instructum, in patriam remisit. Nec uero ille antea discedere uoluit, quàm id cuius caussa uenerat perfecisset, regionemque totam lustrasset, atque tabellis descriptam secum domum reportasset, cuius rei perficiendæ maiorem tum facultatem habuit, quam ei Sedunensis autoritas dabat. Itaque cum in oĩbus quę uidere cuperet, abundè satisfactum esset, illinc in patriam decessit. Sed ut eò de quo inceperam, reuertar, hoc eum sæpe prædicantem audiui, se quicquid rerum naturæ cognitione profecisset, id C. Plinij lectioni acceptum referre, qui in omnibus illi occasionem plura quærendi & inuestigandi semper dederat. Oratorijs artibus à puero semper deditus fuit, earũ uero summam cognitionem, non artis solum præceptis sed multa exercitatione firmauerat, Declamandique cõsuetudinem multis iam sæculis intermissam & propè mortuam, qua nihil unquã utilius ijs qui oratores euadere cupiunt, inuentum fuit, in seipso primum, post alijs renouauit, cum argumento proposito, sæpe in

Lõgolij periculum in Heluetijs.

Antistes Sedunensis Lõgolium liberauit.

scolis

scolis declamãdo, alios suo exemplo, ut idem facerent, cõmouit. Genus dicendi ineũte ętate secutus est, quod postea uir factus, ual de improbauit. Nam cum adolescens per omnia scriptorum genera uagaretur, neque quenquam unum sibi imitandum proponeret, sed ut ipse de se dicere solebat, tantum in uno quoque notaret, quantum acutè aut sententiosè dictum esset, eò factum est, ut prudenter semper ferè diceret, quod fuit etiã naturæ. oratio uero eius, quæ ex uerbis undique accersitis constaret, nullam neq; elegantiam, neque uenustatem præ se ferret, formamque dicendi inconditam & minimè æquabilem redderet. In hoc tamen genere multa scripsit: orationem de laudibus C. Plinij, alteram de laudibus Gallorum. Comparationem Iuris ciuilis cum re militari, in qua iuris laudes extollit. Commentarios quosdam in Ius ciuile. Historiam herbarum. Commentarios in xi. libros Plinij, ab eo admodum adolescente, quo primum tempore Plinium in manus sumpserat, conscriptos, postremum uero omnium, cum iam etiam maiorem elocutionis rationem habere inciperet: quinq; orationes de laudibus urbis Romæ fecit. Quòd uero genus scribendi mutauerit, id Petri Bembi consilio, qui eo tempore hac laude eleganter & latine scribendi multum Italis omnibus pręstitit, acceptum referre solitus est. Ille. n. cum Lõgolio amicissimus esset, multaque eius prudenter quidem scripta, sed inquinatis & corruptis uerbis referta uideret, dolere se apud eum sæpe testatus est, quòd cum à natura & literis ad oratorias artes instructissimus esset, uoluntate etiam in eas maxime propensus, negligeret tamen eã partem emendate & latine loquendi, quam M. Cicero eloquentiæ Romanæ parens, solum & quasi fundamentum oratoris esse iudicauit, unde etiam eloquentia ipsa nomen sumpsisset. Magnopere igitur est cohortatus, ut totam suam dictionem, ad pręstantem illam Ciceronis formam reuocaret, eumque solũ ex oratoribus sibi imitandum proponeret. Cuius consilio & autoritati tantum tribuit, ut quinque annos continuos, ab ea cohortatione nullum denique alium authorem Latinum in manibus haberet, nullum legeret, præter unum Ciceronem, in quo tantum studio industriaque profecit, ut post breue tempus, cum sibi eam legem indixisset.

Scripta Longolij.

Petrus Bembus.

Longolius Ciceronianus.

ſet, ne alijs atque à Cicerone ſumptis uerbis uteretur, ad omnia fere quæcunque animo concepiſſet exprimenda, abundè ex illo uno uerba electa ſuppeterent. Cumque ſe totum ad ſummi illius oratoris imitationẽ dediſſet, ſicq; toto animo contendiſſet ut nihil unquam magis, quàm perfectam illius ſcribendi formam animo incluſum haberet, etiam in omnibus quæ ſcripſit, ut eodem modo dicere poſſet, magnopere laborauit. In hãc uero formam ſcriptæ ſunt ab eo orationes duæ, quibus eorum accuſationi reſpondet qui eum Romæ perduellionis reum egere. una præterea ad Luterianos oratio, & aliquot epiſtolæ ad amicos. Reliqua oĩa quæ ſcripſit, ipſe abolenda cenſuit, idque ut ita fieret, amicis moriens commendauit. Cauſam uero totam Luterianam, cuius oppugnationem iuſſu X. Leonis Pontificis maximi, à quo etiam cõmentarij totius cauſſæ miſſi ad eum fuere, ſuſceperat, quinque orationibus complecti ſtatuerat, breuique perfeciſſet (excogitatis iam ſecum, ut ex ipſo audieram, quæcunque tali in cauſa dicenda forent) niſi prima ſtatim abſoluta, immatura mors conſilium eius præueniſſet. Theologiam & eos ſcriptores, qui de diuinis rebus tractant, omni ętate coluit, idque putauit hominis eſſe Chriſtiani, non in ſenectutem, ut maxima pars hominum facit, hoc ſtudium differre, ſed quotidie addiſcendo in eo, quãquam lentius id fieret, aliquid tamen procedere. Hoc autem modo ipſe & Gręcos & Latinos plurimos, quos maxime in rerum diuinarum explicatione excellere putauit, diligenter euoluit. In his uero literis, & in alijs artibus, tot perlegit, tam multa, tanto iudicio, in tam paucis annis, ea etiam ætate qua alijs uix maturum iudicium adeſſe ſolet, tot interim laboribus & peregrinationibus exercitus, ut ijs, qui eum & mores eius non nouere, pene incredibile uideatur. Sed adiuuabat præter cætera quæ modo commemoraui, temperantia ſumma in uictu, & in omni uita, ut uoluptatibus, quæ apud cæteros eius præſertim ætatis magnã partem temporis ſibi uendicat, nullum omnino tempus daret. Cibi & potus erat parciſſimus, mero nunquam, dilutiſſimo ſemper utebatur, maxime uero frigidæ potu delectabatur, quo etiam ſæpius uſus fuiſſet, niſi medici, quòd maxime inimicum ſtomacho dicerent, deterruiſſent. Somno parum indulgebat, cum plurimum, non amplius ſex horas dormiebat.

Scripta Lõgolij poſteriora.

Luteriani.

Reliqua genera uoluptatum summus ille ardor in studia literarum ita restinxit, ut nulla prorsus in eo aliarum rerum cupiditas appareret: neque uero ita prorsus studijs deditus erat, ut reliqua omnia, quæcunque in Rep. Christiana agerentur, tanquam ad eũ nihil pertinerent, negligeret. Sed cum studijs plurimum tribueret temporis, tum uero quando salutis ratio, uel quæuis alia necessitas, eum à studio auocaret, libentissime & diligentissime de ijs quæ foris agerentur, inquirebat. Quo factum est, ut simul & doctissimus & prudentissimus haberetur, ut neq; hæc curiositas rerum externarum cognoscendi, quicquam de legitimo studiorum tempore detraheret, nec illa languidiorem ad cætera redderent, aut quicquam de prudentia rerum diminuerent, sed contrà alterum ab altero adiutum, hanc pulcherrimam in eo prudentię & sapientiæ coniunctionem effecere. Corporis eatenus rationem habuit, quatenus studijs sufficere posset, quotidieque ante cibum parua pila se exercebat. Quanquam per se laboris apta membrorum compositione patientissimum corpus habuit, & quod multis magnisque laboribus ad omnem patientiam ineunte ætate firmauerat, quippe qui adolescens laborem etiam militarem fuerat perpessus, milesq; Neapolitano bello cum Ludouico Gallorum rege in Italiam uenisset, & si à robore militari multũ abesset, corpusque decorum magis habere quàm robustum uideretur. His uero rationibus ita corpus & animum curauit, ut alterum semper sanum, alterum quàm doctissimum, uarijsque & multis artibus repletum haberet. Quantum uero doctrina & eloquentia inter huius sæculi scriptores præstiterit, ij demum intelligent, qui pauca ea quæ suo iudicio probata, scripta reliquit, cum aliorum in illo genere scriptis conferent, aut is denique, qui in simili scribendi argumento sui periculum fecerit. Neque uero istis artibus atque uirtutibus præmia omnino indigna his temporibus tulit, multaque præclara de eo iudicia principes uiri fecere. A rege Hispaniæ Philippo duodeuiginti annos natus, sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus hodie unis omnia prope regnorum arcana committuntur, præfectus. A principibus Pannoniæ magno proposito præmio accersitus, ut regem puerum opti

Lõgolius militauit.

mis artibus instituendum susciperet. A Ludouico Francorum rege multis honoribus affectus, de quibus ille in iudicio cum pro se diceret, aduersarijs maximè conditionis obscuritatem obijcientibus, commemorare est coactus. Quo tempore regis decretum recitari fecit, à quo ille non unius aut alterius (ut eius uerbis utar) suæ ditionis urbium, sed uniuersi regni iuribus uno edicto est donatus. Sub quod etiam aliud decretum consilij illius centumuiralis, quod Lutetię Parisiorum cogitur, intulit. In quo illi iurati summo eum consensu in collegium suum coaptarunt, habiturum in perpetuum ius uitæ & necis, ac summam fortunarum omnium potestatem, non in plebem modo, sed in oēs regni proceres. Vicesimo uero octauo ætatis anno ciuitas ei Romana ultrò est oblata, uirtutisque & literarum ergo ciuis factus. Quæ res quanquam initio multarum illi turbarum causa fuit, multis clam inuidentibus, nonnullis uero nobilissimis uiris palam eum oppugnantibus, & uirtutibus eius obtrectantibus, inter quos magno periculo est uersatus, postea tamen optime cessit, nomenque eius & gloriam magnopere auxit. Nam cum statim post ciuitatem adeptam in Gallias redire studeret, ut amicos & propinquos, à quibus multos annos abfuerat, uiseret, crebræ aduersariorum eius uoces exceptæ essent, palam dicentium, se nomen eius delaturos, ea res fecit, ut paulo diutius consilium profectionis differret, ne si tali tempore urbem relinqueret, non amicos salutandi causa discessisse, sed timore & minis inimicorum perterritum, ab urbe aufugisse uideri posset, sed cum diutius mansisset quàm eius rationes paterentur, expectans quorsum obtrectatorum inuidia procederet, cum illi interim nihil contra eum nisi conuicijs agerent, existimans ulterius eorum indignitatem non progressuram, iter Galliam uersus iam diu ab eo deliberatum, est persecutus, relictis tamen apud amicos defensionibus suis scriptis, ut cōtra omnes conatus aduersariorum, si absentia eius aliquam illis occasionem accusandi daret, præsto haberent quod opponerent, iam tum ex eorum conuitijs animo prospiciens, quæ maxime obiecturi essent, quibus ille omnibus medicinam fecerat. Cuius sui consilij prudenter exco-

cogi

cogitati magnum postea fructum & uoluptatem coepit. Vix enim Venetias in eo itinere peruenit, cum ad eum literae amicorum sunt allatae, nunciantes grauissimam accusationem qua statim post discessum eius aduersarij sunt usi, & quo pacto consilium de relinquendis defensionibus processisset. Accusauit eum nobilis ac disertus adolescens Romanus, in quo magnam dignitatis suę spem maiores natu Romani collocarant, ad id inductus inimicorum Longolij multis & assiduis precibus, obiecto etiam falsae gloriae splendore, quòd patriae laudibus, quas oppugnatas à Longolio esse uoluerunt, in huiusmodi accusatione adesse eum asseuerarent. Ita uero acerbe & uehementer, ipso audiente principe Romano, cum multi nobilissimi & clarissimi uiri iudicio interessent, egit, ut nonnulli amici Longolij essent, qui de caussa obtinenda desperarent, donec amicorum praecipua cura defensiones eius in lucem prodiere, quae ita ab omnibus passim probabantur, ut multi dicerent non Longolium ciuitatis donatione ornatum, sed ipsum ciuitatem illis orationibus ornasse, in quibus pristinam dignitatem ciuitati & uetera sua ornamenta omnia restituisse uidebatur. Principi uero ipsi ita placuere, ut oblitus penè quid aduersario eius tribuisset, quem paulo ante, nulla magis re alia motus atque eius in Longolium actione, in familiarium numerum receperat, protinus iuberet ut diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum esset quòd S. P. Q. R. de ciue eum asciscendo decreuisset, praeterea quòd ipse de priuato aerario ad tuenda studia eius concessisset, atque ad eum ubicunque terrarum esset deferrentur, ea tamen lege, ne sedem studiorum alibi quàm in Italia poneret. Multis praeterea honoribus affecit, nam in Palatinam & sacro sanctae Lateranensis aulae comitatum sua sponte coaptauit, & in Romani Pontificatus scribarum numero esse uoluit. Quae cũ ad eum perlata essent, cũ alia oĩa libenter audiuit, tum uero conditiouem de cõmemoratione sua in Italia non inuitus accepit, lętusq; in Galliam quasi ex inimicorũ dolore triumphum agens aĩo statim reuertendi est profectus, ubi magno

amicorum concursu ac gaudio exceptus, quòd nihil tam praeter opinionem eorum acciderat, quàm ut eum quem uix saluum in tantis contentionibus arbitrabantur, honoribus etiam auctum uiderent, magno eum studio apud se retinere contenderunt, pluribus etiam ad manendum premijs & priuatim à multis, & publicè à rege ipso Frãcorum propositis. Ex priuatis autem qui hoc maxime ab eo contenderunt, Ludouicus Ruzeus Parisiensis, cũ multa alia, tum uero suburbanum fundum lautũ & fructuosum muneri obtulit, nullam aliam beneficij sui remunerationem aut operam ab eo expectans, nisi ut urbe illa quasi domicilio studiorũ suorum contentus, in Italiam amplius non rediret. Ille uero quanquam Galliam semper non minus charam quàm patriam habuit, existimans non inferiori amoris loco habendam quae excepit, quàm quae genuit, plurimi etiam in hac re amicorum studia aestimaret, tamen cum recordaretur quam fidem X. Leoni Pont. Max. & reliquis amicis de reditu dedisset, ab eo nullis cuiusq; promissis aut precibus deduci potuit. Mirificè uero ipse sua sponte erga Italiam & Italos hoĩes afficiebatur, ut etiã in epistola quadam ad Sadoletum, reditus sui rationẽ probare uolens, cũ alias causas attulisset, postremo addit, ideo se redisse, quòd ad excitanda fouẽdaque studiosorum hominum ingenia plurimum conferre arbitratus esset, coeli ipsius Italiae clementiam, seque in eo foelicem illum & plane diuinum Italiae genium secutum. Antequam uero rediret, Britanniam nobilem insulam uidere uoluit, adductus praeterea fama eorum, quos praeter caeteros illic graecis literis & latinis eruditos, omni liberali & ingenua doctrina pollere audiuerat. Cum quibus pluribus diebus iucũdè consumptis, quòd eorũ doctrina ita delectaretur, ut etiam summae admirationi essent, quemadmodum saepe eum praedicantem audiui, tantam & tam politam atque exculta doctrinam in illis locis, apud eos homines, uel usquam penè terrarũ, his temporibus, quibus prope omnes elegantiores artes iaceant, potuisse reperiri, ad constitutum sibi in Italiam iter reuersus est, Patauiumque uenit, quem studijs suis locum accommodatissimum elegit. Quanquam simul ac de eius in Italiam aduentu auditum est, populus Florentinus non solum

Italiae genius.

Lõgolij peregrinatio in Britanniam.

sum in ciuitatem suam, si illic ad instituendam bonis artibus iuuẽtutem se cõferret, inuitauit, uerũ etiam uicena quina in annos singulos sestertiorum nũmũ millia ex ęrario publico decreuit. Verũ ille recordatus, quæ præmia ante contempserat, quòd nullam ocij sui partem alijs uẽdere uoluisset, nulla mercede à suscepta propositaque sententia potuit auelli. Patauij autem se continuit, sibi & studijs suis seruiens, primum in contubernio Stephani Saulij nobilis Genuatis, qui literarum causa eò se contulerat optimarum artium etiam ipse studiosissimus. Deinde uero eo in patriam reuocato, cum multi nobiles uiri (quorum tum Patauij propter celebritatem eorum qui literas docuerant, magna copia fuit) certatim Longolium ad se inuitarent, quòd eius consuetudinem non honorificam tantum sibi, sed etiam fructuosam fore putabant, ille in domũ Raynoldi Poli nobilis iuuenis Britannię, quem per eos dies Rex Britanniæ literarum causa eò miserat, migrauit: quo cũ coniunctissimè in literis usque ad extremũ uitæ diem uixit. Amicitijs usus est magnis & illustribus, quas ille ubique ferè uel felicitas quædam eius uel doctrinæ fama conciliauerat. Neque uero in conciliandis amicis felicior, quàm in retinendis prudentior habebatur, quos summa fide obseruantiaque semper coluit. Quantum uero officio in amicos tribuit, uel extremus ille uitæ actus facile declarauit. Nam cum grauissimè ex febre laboraret, ex qua etiam perijt, eodemq́ tempore ab Hieronymo Sauorinano amico suo, qui tum filium summa spe & indole adolescentem amiserat, literas accepisset ualde miserabiliter de morte filij scriptas, existimans se non aliter officio suo in amicum posse satisfacere, in medijs ipsis doloribus cum grauissime cruciaretur, literas ad eum cõsolatorias, morbum suum silentio tegens, ne hoc etiam ad amici dolorem adderet, dedit. Quæ quidem, ut tum scriptæ, maxime uim morbi auxisse existimari possent, sic uberrimè quo officio in amicos esset declarauere, qui ne eo quidem tempore sibi parcere uoluit, aut officium intermittere, quo omnes illi libenter remisissent, aut sane amicus non esset, qui hoc ab eo exigeret: & tum alium consolaretur, cum magis consolatione ipse egeret. Sed ab ea humanitate quam in omni uita erga amicos retinuerat, ne tũ qui-

Stipẽdium Longolio à Florentinis oblatum.

dem dolor corporis & propinqua mortis expectatio potuit eum deducere, aut facere, ut suorum commodorum rationem haberet, qui semper quacunque in re declarare posset, amicorum commoda suis prętulerit. Quo factum est, ut charissimos illos semper firmissimos haberet, idque maxime est expertus, cum absens Romæ in iudicium uocaretur. Quo tempore neque aduersariorum eius potentia, quæ maxima fuit, nec acerba eorum in eum accusatio, quenquam eorum qui amicitia uel consuetudine aliqua, dum Romæ esset, coniuncti uidebantur, ulla in re flectere potuit. Plurimum uero ex omnibus detulit Iacobo Sadoleto, & P. Bembo, uiris cum authoritate & gratia inter eos qui tum Romæ erant, maxime florentibus, tum uero doctrina & omni politiore & humanitate prope singularibus. Quorum opibus & gratia quam diu Romæ fuit in omnibus rebus est usus. Vt uero alios in se benignos ac liberales est expertus, sic omnibus quos aut opera aut consilio iuuare posset, maxime fuit expositus, præcipue uero ijs qui spem aliquam de se uel ingenij uel doctrinæ darent. Noui ipse multos qui cum à patria absentes & amicorum subsidio destituti, ad eum confugerent, ab eo sæpe pecunia subleuatos, cum tamen ualde tenues facultates haberet, & aliorum opibus casus suos sustentaret. Quando uero diutius sumptus tales se ferre non posse sentiret, per amicos omnia egit ne quid illis deesset, non secus ac si omnia necessitudinis officia sibi cum illis intercessissent, qui neque cognatione neque patria eum contingebant, indole tantum & spe doctrinæ ei commendati. Aduersæ fortunæ uulneribus multis, ut in tam paucis uitæ annis, ictus, nihil unquam aliter atque uirum decuit, tulit. Primum Philippi Regis Hispaniæ morte inopinata, ad quem se post amissum utrumque parentem contulerat, ex quo cum magna sperasset, iamque apud eum gratia & supra ætatem authoritate multum ualeret, ille præter omnium opinionem in Hispania ereptus est. Deinde multis peregrinationibus & molestijs agitatus, carceris etiam molestiam & difficultatem est perpessus. Post contentio illa Romæ accessit cum potentibus & factiosis aduersarijs, inter quos cum sæpe discrimen

Iacobus Sadoletus.

Lōgolij humanitas.

Philippi Hispanorū regis mors.

men uitæ adij,nunquam ſine magno periculo uerſabatur. Extremum uero omnium,quod aliqua ex parte eum attingere uidebatur,fuit decimi Leonis Pontificis maximi mors,in cuius uita omnem ſpem fortunarum ſuarum ſitam habebat, cuius authoritatem & promiſſa ſequutus,contra omnium amicorum ſuorum uoluntatem in Italiam redierat.Cum autem neque ad ſuos honeſtum reditum,quorum antea promiſſa ſpreuerat, neque quo pacto in Italia defuncto iam Leone,qui antea ſumptus ſuppeditabat, ocium ſuum cum dignitate tueri poſſet, ſatis uideret, hæc nonnihil eum conturbarunt.Nuſquam tamen ſe commouit ſed ueteribus tantum amicis,quos in Italia habuit, de ſtatu ſuo per literas admonitis,ille in contubernio illius nobilis iuuenis Britanni ſe continuit. Cum uero decem menſes poſt obitum Leonis Pont. perpetuo ferè in literis uerſaretur,conſtitutum ſe habere dixit in Forumiulium proficiſci, tum ut animum ſuum curis literarum diſtrictum peregrinatione relaxaret,tum etiam ut eam partem Italiæ ſibi non ſatis cognitam uiſeret. Itaque paucos ante dies quàm egredi ſtatuerat,cum nihil omnino incommodę ualetudinis ſentiret,ſemotis arbitrijs multa cum Polo ſuo,cui ſemper plurimum tribuit,fertur diſputaſſe de periculis,de fragilitate, de miſeria humanæ uitæ. Hanc uero tandem ſummam orationis habuiſſe,ut quoniam ſibi peregrinandum eſſet,neque ignoraret multa ſæpe peregrinantibus pericula præter opinionem, quibus obſiſti non poſſet, interuenire, ut rebus ſuis, quicquid ſibi accideret, prouideret, teſtamentum ſe uelle facere dixit, atque apud eum deponere,flenſque penè rogauit, ut ſi quid ſibi aduerſi accideret, teſtamenti capita perſequeretur, famamque ſuam & memoriam charam haberet. Atque hæc cum magna admiratione illius cui hæc commiſerat fecit.Quis enim non miraretur quòd in proximam prouinciam exiturus, optima etiam ualetudine, ut ſibi & alijs uidebatur præditus,ea diceret & faceret, quæ magis ex uita quàm ex ciuitate migrantis uidebantur?

Verumtamen ſiue diuinatione de propinqua morte ſua id

facie

faciebat, siue prudentia quadã, quam casus postea diuinationem uideri fecit, eodem die qui profectioni cõstitutus est, in grauem & assiduam febrem incidit, ex qua non conualuit, eo etiam tempore cum forte abesset Polus, cui antea res suas omnes crediderat. Quem tamen per literas statim quo statu esset, certiorem fecit, nihil de testamento mutans, hoc tm̃ rogans, ut quemadmodũ coram recepisset, curam & quasi dispensationem rerum suarum acciperet, mortuoque memoriam piè & inuiolatè præstaret. Quo nuncio tristissimo ille perculsus, quòd eum unicè amaret, subitò accurrit, multaque cum in spem uitæ diceret, eadem etiam medici pollicerentur, nunquam ab eo deduci potuit, quin ea febris finem sibi uitæ esset allatura, id quod paucos post dies euenit. Antequam uero discederet, in Diui Francisci familiam uoluit adoptari, eiusq; habitu post mortem, & tẽplo sepeliri. Obijt XXXIIII. ætatis anno. III. Idus Septembris. Anno salutis humanæ M. D. XXII. atque Pataujj in Francisci, quemadmodum ipse præscripsit, sepultus.

Epitaphium eiusdem Longolij.

Christophoro Longolio Belgæ, Romanam ciuitatem propter eximiam in studijs literarum præstantiam adepto. Summo ingenio, incredibili industria, omnibus bonis artibus prædito, Supra iuuentę annos. in qua extinctus est magno cum Italiæ dolore, cui ingentem spem sui nominis excitauerat, Petrus Bembus amico atque hospiti, posuit.

Te iuuenem rapuere Deæ, fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi si canos seniumque dedissent.

VITA

VITA IOANNIS OECOLAMPADII THEOLOGI, PER V. CAPItonem descripta.



OANNES Oecolampadius natus est anno LXXXII. supra millesimū quadringentesimum, in oppidulo Cheruscorum Vuinsperga, parentibus ut illic uiuitur, abundè diuitibus, matre autem honestioris religiosæque uitæ nomine, celebriore. Quæ sanè prę ter summam iuuandis pauperibus curam, ingenij quoque laudem inter notos tulit. Cumque hunc unum ex liberis suis superstitem Deus uoluisset, literis & religione propè lactantem imbuerat. Adultiorem destinabat pater mercaturæ exercendæ, mater impetrauit ut plusculum temporis & sumptus concederetur literis addiscendis. Eiusmodi ingenij specimen in rudimentis literarum capiendis admodum puer dedit, ut omnibus esset miraculo. Maturè enim ad id eū formare cœpit Dominus, in quo opera eius erat usurus. Atque adeo parens, siue precibus uxoris, siue filioli indole & natura uictus, in eum satis liberaliter sumptum facere cœpit, nam perceptis literarum elementis, amplius erudiendum Heltprunnæ, deinde Heidelbergæ aluit, ubi eos progressus fecit, ut natus annos duodecim, tolerabilem uersum scriberet, biennio post Baccalaurei, ut uocant, honorem obtinuit. Nec minus illa ætate, in religione & uitæ innocentia fecit operæprecium, quàm literis. Posteaquam adeptus est magisterij titulum, Bononiam concessit, auditurus nescio quem Iuris professorem, tum arcem existimationis obtinentem, patri in hoc obsequens. Sed intra semestre tempus, partim ualetudine, cęlum Italicum auersante, partim quòd mercator cui parens pecuniam, quo illic uiueret, reddendam crediderat, non satis ex fide egisset, coactus est ad suos redire. Repetit Heidelbergam, posthabitis legibus ciuilibus, audiendæ Theologiæ se mancipauit, admissis in

Oecolampadius adolescens mercaturæ destinatus.

Oecolamp. in Italia Iuri discendo operam dedit.

partem, ut uocāt, literis humanioribus atque linguis eruditis, nā ciuiles controuersię minores uidebantur, quàm quæ celsitudinē animi illius decerent. Eo flagrabat cognoscendæ ueritatis desyderio, ut quæstionum & sophismatum inanium odiosis tædijs non auerteretur, quæ ferè ingenia liberaliter instituta, à sacris literis uel obiter gustandis deterrēt. Post Thomam uero, Richardum inter scolasticos præcipuè amplexus est. Gersonem triuit nō indiligenter, quòd is uideretur ad alendam pietatem comparatior. Scoti acumen neglexit. Neque æqualium more, ad singulas argutias attonitus hæsit, sed ad summam eius professionis auidus, properabat. Cum paucis de profectu studiorum suorum conferebat, iniquior theatralibus istis disputationibus, quæ ad superbiam, ad rixas, ad supercilium, adolescētium ingenia multa corrupere iam sęculis aliquot. Semper fuit rei literariæ ꝙ parandæ famæ eruditionis expetentior, idqꝫ præter ætatis illius lubricæ ingenium, & absqꝫ instituto præceptorum. Dixisses alumnum sacræ ueritatis, non stultorum magistrorum discipulum. Adeo pro captu ætatis consilia oĩa huc contulit, ut ueritatis literatæ conscius atque domesticus fieret. Quo factum ut eruditionis & uirtutis laude apud optimū quenqꝫ tacitis suffragijs adficeretur. Hac fama illectus illustriss. princeps Philippus Palatinus elector, liberis suis natu minoribus institutorem eum præfecit. Hinc illi aditus ad summa cōmoda euadendi patuisset, si splendorem & strepitum huius sæculi amasset. Verū aliud uis animi tā diuini, & ad iuuandā pietatem nati, persuasit. Itaque quam primum licuit aulæ uale dicens, ad pia studia prosequenda sese iterum abdidit. Tandem quia parentibus, ut erant uehementer pij, animus erat, in Deum & in hunc unicum filium, facultates suas oēs conferendi, quod nulla amplius cura posteritatis tangerentur, ex eo quod ille esset ualetudine imbecilliore, & omnino profiteretur Ecclesiasten eximium, ipso autore sacerdotium facultatibus suis in patrio oppido instituerūt, cui concionandi munus coniunctum esset, ad id præcipuam prouentuum partem conferentes. Quod quidem ob id filio primum cōmittitur, Cui cū sesquimensem præfuisset, impetrauit Heidelbergam redeundi ueniam, gratia adaugendi cultū ingenij, qui si bi ad

Oecolampadius iniquior publicis disputationibus.

bi ad ſacram hanc prouinciam, quam ſemper maximi reputauit, nondum maturus uideretur. Prius tñ Thubingam adijt & Stutgardiæ Capnionem, illis temporibus in linguis doctiſſimum conuenit, à quo guſtum qualemcunq; Græcarũ literarum intra paucos dies cepit, quẽ breui adeo ex multis, ut dicitur, magiſtris prouexit, ut Heidelbergam reuerſus, Grammaticam, cui titulum fecit Dragmata, conſcriberet, quæ poſtea eſt ædita. Illis temporib. concionibus ſacris ego Bruchſellæ præfui, obnoxius & aulę epiſcopali, cuius noĩe aliquoties adeunda mihi Heidelberga. Ex quo tempore mutua inter nos officia non parua interceſſerunt, abſq; ſuſpicione abalienati animi uſq; in hunc diem continuata. Nã alter alteri conſiliorum omnium uel ſocius, uel autor fuit, niſi dum ille uitam monaſticam, me fortiter diſſuadente, ſtatueret periclitari. Quin mortuum eodem amore & nunc proſequor, quẽ Chriſto adiutore in liberis eius, quos alendos ſuſcepi, declarabo. Viſũ eſt autem ut ad partes muneris ſui obeundas domum rediret, ne quid conflictu uanorum ingeniorum, quæ gymnaſia publica plurima nutriuerunt, contagij contraheret. Interea ego Baſilęam, ut illic ſacris contionibus præeſſem uocabar. Ille aũt patriæ ſuæ, cũ omnium uerè ſpiritualiũ & eruditorum admiratione Chriſtum prædicauit, quanquam adhuc multa ueteris ſuperſtitionis admixta eſſent. At ſæuerus nimiũ concionator audiebat, quia aures uulgi inſanis clamoribus non percellere, neque infacetis facetijs actionem ſacram exhilarare, quemadmodũ tum ſolebant mendicabula iſta monachorũ. Modeſtiã enim & ſanitatem dicendi ſemper amauit. Quæ iniquitas iudicandi illi cauſam dedit, ut ad me de riſu paſchali ſcriberet libellum, animum eius ut tũ erat feliciter exprimentem. Sunt enim anni opinor undeuiginti. Equidem uero nõ omiſi mouere omnem lapidem, donec ad me hunc ſtudiorum, & religionis ſodalem, Baſilęam uſq; pertraherem, indignũ ratus, ut in angulo patriæ ſuæ tã anguſto, tanta ſpes publicæ pietatis cõcluderetur. Effeci tãdem, ut per Chriſtophorũ ab Vtenheim Epiſcopũ, illò uocatus parœcię primi templi præficeretur. Attulit ſecum ſex tragœdias Chriſtianas, argumentorũ non cõmemini, unũ erat de uirgine deipara, ſi nõ erro, quas legerunt eruditi, & eorũ guſtui

satis faciebant, Scribendo in utraque lingua uersu plurimus fuit. Argumenta tamen tragica nondum ad gnomonem fidei correcta erant, quod summa cum admiratione, & cunctanter admodũ à receptis erroribus discederet, magis necessario pietatis iudicio, quàm temerarijs aliorum adfectibus parens, Quod in causa, quo minus æderentur. Sub idem tempus, cum primum Erasmus Roterodamus Noui testamenti annotationes æditurus, Basilęam uenisset, Oecolampadium in participatum sanctissimi operis acciuit. Opera enim subsidiaria illius (ut inquit idem) non solum pietate, uerum etiam trium peritia linguarum eminentis, adeoque ueri theologi se adiutum esse, ingenuè fatetur. Admiserat enim doctoris Theologiæ titulum, compulsus ab amicis, quibus tantæ lucis illud plebeium ex nomine lenocinium adijciendum uidebatur. Tempus erat, ut Dominus hactenus instructo forma toque uteretur, eòque uocatur à Canonicis primi templi Augustani, ut contionibus illic sacris præesset. Atqui nondum maturuerat messis Christi, neque dum alba ad messem seges Euangelica, uitaque cum uulgi tum ecclesiasticorum corruptior, quàm quæ medentis manum ferret. Inde secedendi consilium captauit. Est autem in uicinia urbis Augustanæ, intra secundum opinor lapidem, monasterium D. Altonis, ubi conuentus monachorum, opinione pietatis & rectioris religionis commendati. Institutum diuæ Brigidæ profitentur. Quorum mores cum propius explorasset, illorum contubernium adiens, studijs suis & fidei, libertatem ab illis stipulatus est. Quod his uerbis ante contestatus est, Etiam si sexcentis inquit, iuramentis me obstrinxero, nequaquã ea seruare potero, si quando utilis ministerio uerbi futurus sum. Eam conditionem, non reijciebant Monachi, sed confirmabant, priuilegiumque suum monstrabant, quod ad concionandum exire possint, sicubi hæreses pullulent. Id uero transactũ est, Episcopo Frisingensi uehementer applaudente, qui uirum ob doctrinã eximiam & religionem singularem à multis annis colebat. Huic ego consilio toto corpore sum obluctatus, id ueritus quod euentus postea declarauit, non inuenturum adoptatam studijs quietem, neque libertatem seruiendi proximo & Ecclesiæ Christi.

Oecolamp. qua contestatione monachus sit factus.

Iam

Iam in hoc instituto cum esset, præter contiones certas quas ædidit, scripsit etiam de confessione librum, quo magis pium, hoc minus ceremoniarum nundinatoribus ferendum. Huius etiam occasione, Glapio Franciscanus, qui tum Cæsari Carolo à confessionibus, ingens uiro periculum creauit. Agebantur tũ comitia Vuormatiæ. Hac de causa sollicitantibus amicis, & cõsentientibus fratribus qui in eo cœnobio, tutò decessit. Rumor antequam euaderet periculum inualuit, coniectum esse in uincula, quem constanter nobilis, & eruditus quidam canonicus Augustanus ad me, in aula Maguntina, Hallis Saxoniæ agentem, scripsit. Conuentus enim Vuormatiensis superiorib. mensib. dimissus erat. Continuo ego ceu priuata & domestica curaturus, uenia duos menses discedendi impetrata, me in equum conijcio, appropero Maguntiam, illinc pertentaturus rationem commodam liberandi fratris, & astutum ingressus ædes Paræci hospitis mei, Oecolamp. cum Casp. Hedione colloquentem, præter expectationem inibi deprehendo. Iuuat meminisse, quo animi gaudio uterque perfusus, nos inuicem excepimus & consalutauimus, nam 4. anni erant, qđ Basilęam ille reliquerat, neque interea corâm conueñeramus, & mihi sic erat persuasis. arctissimis custodijs & uinculis illum detineri. Verum mihi tribus ut minimum equis & ministris duobus, per illos duos menses, Argentinæ, Basileæ & sub itinere in publicis diuersorijs, meo sumptu uiuendum, donec ad principem, ut condixeram, Nurnbergam redirem, ubi tum conuentus principum indictus erat. Concessit inde ad Heroem illum incomparabilem, Franciscum à Siccigen, apud quem missam repurgare cœpit & uertit ex Chrisostomo Psegmata. Vbi autem uir ille infelici bello implicitus, qui plane dignus, cui pax diutina cum summa potentia contigisset, adeo iustitiæ, religioni, literisque prouehendis erat addictus, Basileam concessit, æditurus quæ apud hunc parauerat. Ibique senatu uolente, utcunque reclamarent Sophistæ, publicè Esaiam pręlegere cœpit. Mox petente id parocho ad D. Martinum, pro eo functus est contionandi munere. Magna quidem Papistici gregis inuidia, sed uicit tandem is quem purè prædicabat, Christus. Itaque annos v. sine legitimo stipendio, uel pa- *Franciscus à Siccigen.*

ræci, uel concionatoris, Christum docuit. Eodem denique tempore Chrysostomum in Genesim, & Theophylactū uniuersum, Latinos fecit. Orta disputatione de sacramento Eucharistiæ, rogatus à multis sententiam, modestissimē tandem pro patrum sententia pronunciauit, quam bona fide adduxit. Cum uero istuc non ita ab alijs acciperetur, ut is scripserat, enata est dira quædam conflictatio. Sed facile uidere est quid spectarit quæsieritque hic uir, nihil sanè minus, quàm ecclesiæ turbationem, aut ueritatis obscurationem. Interea cum inualesceret ueritas in Heluecijs, per Fabrū & alios disputatio publica, de primis capitibus religionis nostræ indicta est, quibus de controuertebatur, per primores Heluecio-rum, autoribus tamen Fabro & Eccio, ut fama tulit. Ad hanc fide quidem publica, sed tamen non sine grandi periculo uenit. Cumque Zuinglius adesse nec uellet, nec à suis permitteretur, quod lōge alia ab hostibus capta consilia crederentur, quàm sola disputatione rem transigere, unus causam ueritatis sustinuit contra acerrimos atque exercitatissimos huius hostes, qui illuc magna frequentia confluxerant. Qua religione, quaque dexteritate id fecerit, præter acta ab hostibus etiam ædita, plurimi hodie fide dignissimi testantur. Post annum & Bernensi disputationi ac reformationi operam suam egregiè nauauit, quorum & ipsa acta à iuratis scribis congesta, toti orbi præbent testimonium. Non diu pòst, cum Basileæ quidam de senatu & plebe, ijs quæ pro puritate Euangelij pridem in ea Repub. legitime statuta erant, nimium audacter priuato ausu aduersarentur, & quæ publicitus pacta, priuatim rescinderent, motu illic exorto, rursus ea quæ pro religione prius decreta iuxta uerbum Domini, tam in urbe quā in agro huius reipublicæ reformata & stabilita sunt. In quo motu nemo, sicut ante hac, quicquam designauit insolentius, nam ut plebs manu nihil tentauit, nisi quòd idola quædam & quæ ad superstitionem prouabant, temere per quosdam deiecta sunt, ita senatus edicto cōposuit & instituit oīa. Id autem grauissimi huius uiri ad modestiam, obedientiam & pacem cohortationibus bona parte confectum est. Paulo pòst & restituendæ in illa sua eccle-

Disputatio de Sacramē to Eucharistiæ.

Disputatio Bernensis.

Tumultus Basileæ

sia

sia disciplinæ ecclesiasticæ, censuræque excommunicationis autor fuit. Mox accersitus Vlmam cum Ambrosio Blaurero & Martino Bucero salubri consilio ei ecclesiæ adfuit, ut ad Euangelij gnomonem ecclesiastica omnia exigerentur. Reliquum uitæ tempus in huiusmodi sanctissime institutis tuendis ac prouehendis, cum scribendis, tum prælegendo, tum uarijs per Germaniam Ecclesijs consulendo, insumpsit, ut multorum qui nolunt Christũ super se regnare inuidia, ita fructu amplissimo & gratia apud bonos summa. Hunc uitæ cursum tenuit perpetuò uir sanctissimus, uerum, simplicem, syncerum, aptum pietati, appositum iuuandis hominibus, promouendo regno dei, impugnando Satanę molimina. Illa eadem ratio morienti per omnia constitit immota, certa, inuariabilis. Nos igitur quia rebus omnibus interfuimus de morte uiri optimi, ut habet, uerbis paucis, fide certissima, simul & calumniatoribus istis, & piorum studijs respondeamus, & testimonium innocentiæ ne denegemus, par est. Anno igitur quã mortuus est integro, cum ualetudine firma nunquam fuisset minus, negocijs grauioribus, aut solicitudine maiore obrutus nunquam fuit. Nam & repressa haud ita pridem scabies, quæ eodem tempore magna ui, toto corpore eruperat, membris omnibus oberrans, tot annorum æternis lucubrationibus exhaustas uires mirabiliter affligebat, & non solum quomodo progressum iam aliquousque Euangelium fructus certos maioresque redderet, sed inter gliscentia bella ciuilia, & sectas alias ex alijs continuo pullulantes, ut ne officio suo usquam deesset, cura incredibilis sollicitabat. Itaque pro summa temporum difficultate, uigilias, labores, cum essent maxima, omnia intendere, ditionem uniuersam Ecclesiæ suæ, suis pedibus circuire, cohortari diligenter, non suos tantum, sed & aduersarios, non semel etiam cum uitæ discrimine grauiter & acerbè castigare, & in uiam reducere, seueritate summa, summa fide in omnia incumbere. Quin etiam Testamentũ utrũque, qđ antea per uices cũ altero professore Theologo prælegebatur, à principio exorsus, speciosam rẽ, noua & uetera, summa doctrinę sacrę, summa linguę utriusq; Gręcę & Hebręę egregius

uerusque

uerusque Christi Episcopus, scientissime inter omnia priuata & publica alioqui negocia, inter conciones perpetuas, optima quotidie cum fide promebat. Tot res difficillimas, tempore eodem, uir unus, summa animi tolerantia, plusquam annum integrum sustinens, morbum haud minore cum molestia in membris tum fluctuantem, quam postea erupit, duarum, idque peregrinarum linguarum interpretationem, nihil hic attinet dicere qualem, Theophilacti, Cyrilli & Chrysostomi pleraque opera, quanquam inter excudendum per summam festinationem reddita, satis docent. Scripturæ sacræ non quà obuia & exposita, sed qua retrusa maxime fuit, explicationem, quod in Esaiam, Haggeum, Zachariam, Malachiam, Danielem, Iobum, amplissima luculentissimaq; commentaria intra paucos annos elucubrata, cogitationes ad hæc non uulgares, q̄q̄ nondū digestæ & æditæ, in Hieremiam, Ezechielem, Epistolam ad Hebræos, ac D. Ioannis Euangelium. Præterea in eiusdem canonicam Demegoriæ, ac in epistolam ad Romanos annotationes egregiæ testantur. Postremo concionandi munus haud unquam interea prætermissum. Negocia priuata taceo, & ad ecclesias innumera quotidie responsa. Ipse cum labores immensos mirarer, sæpeque interueniens reprehenderem, ac hisce parem esse diu negarem, hortatus accuratè sępenumero, suum qui modum negocijs faceret, summis se tantum temporibus impartiret seruaretque. Verum is urgente fato sic properabat, sic maturabat omnia, ut qui procul hinc prorsusque migrandi diem instare, scire certò uideretur. Iā infelici bello Heluetia efflagrabat. Zinglius fortissimus restituendæ apud suos innocentię adsertor, & sedulus Euangelicæ synceritatis uindex, ceciderat. Conditiones pacis bonis ueræque religiosis hominibus admodum graues coiuerant, aduersis rebus & casu subito animi omnium fracti sternebantur. Cum seu lue pestifera, quæ per urbem tum, & in ipsius etiam domo grassabatur, seu repullulante, & uim intus concipiente scabie, ulcus super os sacrum, qua compages membrorum omnium est, primum exeruit sese, mox auctis ignibus, corpus totum mirabiliter imflammauit, Anthracen fuisse non est dubium, Liuidus color ac infestus, uis ardoris intoleranda, inter tot incōmoda

moda priuata & publica, necdum ille aut concionari, aut prælege re, aut lucubrari desierat, sed ceu fortis ille miles, omni tolerantiæ genere duratus, in ista sua statione assidue hærebat, tantisper, dũ ui morbi compulsus, domi se continere, negocia ponere, decumbereque coactus est. Continuo aderamus amici, & medico primum, mox Chirurgo accitis, de morbi genere, rationeque dispu tabamus. Medicus, quod res erat, ceu morbi ingenio, seu corporis imbecillitate perpensa, iam tum à principio non satis polliceri uidebatur. Verum ubi omnia consyderasset, ea uia rem aggressus est, qua ope summa niti posse credebat. Ac dies iam unus alterque abijt, cum arte compositus calor paululum, & ulcus iã ad maturitatem perductum interspirare ab ignibus istis finerent, & spem nobis omnibus prębe rent. Ille, quanquam haud ægrè officia admitteret in sese amicorum, nunquam tamen non facessere sedulitatem nostram iubere, ac fatalem esse morbum monere desijt. Interea quantum amicorum in urbe fuit, ordinum quidem omnium, de Senatu uero optimus quisque uir diligentissimè adesse, omnia facere, beneuolentiam & promptitudinem summam ostendere. Quin & Senatu edictum fuit, qui summa Medicorũ fide aduigilaretur. Inde uero in urbem fratres pijque omnes aduolare, noctem totam iuxta uigilare. Itaque cum limen huius antea frequens fuisset semper, fuerat nũquam frequentius. Stabat morbus & dies octauus præterierat, erantque medicorum non eę dem planè sententiæ, tametsi studium, sedulitas & fides par fuit, quippe qui & amici essent. Tentata omnia sunt, uerum inuitis pertinacissimum malum uicit, tametsi non morbi pertinacia magis uinci se Medicus, qui urbis ordinarius primus est, fatebatur, quã corporis imbecillitate, uiribus suis iamdudum exhausti, nam nec fluere ulcus, ut cœperat, sed cursum intro reuocare, nec ęgritudo remittere, extincto iam calore, sed circa præcordia intendi, etiam caput iam uehementissime turbari. Ibi noua ope Medicus niti, (uni etiam iam res commissa fuit) industriam omnem aduocare. Rursus igitur restituta uis, rursus signum, ut uidebatur, clarissimum uictrix natura extulerat, in dextrum latus repente tumidũ exulceratumque, morbo exturbato, & ingenti circũ præcordia

Hæc sunt sirmonis Grinæi, à præcedentis folij loco: Nos igitur &c.

phlegmatum ui ſubitò concepta, reſonanteq; & largè exundante. Verum hæc, ut patuit poſtea, luctantis naturæ uirtus extrema fuit, nam haud multo pòſt, tremere cor, rigere oculi, mẽbra prorſus omnia cœperunt, penituſque ſuperare morbus, Medicus animum iam deſpondere, nos mœſti ſpem omnem abijcere. Ille qui dudum ad hanc luctam animis ſe totis compararat, & hunc diem cupide expetiuerat, non expectare conſolationem noſtram, ſed prior ultròque nos conſolari. Igitur miniſtris Euangelij uerbique socijs & eccleſiæ primoribus aduocatis, oratione huiuſmodi uſus eſt. Quid ſit uidetis fratres, Adeſt Dominus, uenit, hinc iam nos abducit. Quæ cum ita ſint, uocare uos prius uolui, & hanc animã cum chariſſimis uera in dominum lætitia, uera conſolatione exatiare. Quid igitur ſerui Chriſti? quos idem erga Dominum ſuum amor, ſtudium idem, doctrina eadem coniunctiſſimè copulauit, in extremo complexu dieque, parta ſalus, parta per Chriſtũ omnis nobis regni Dei fiducia eſt, doctrina certa pedibus noſtris lux parta. Abeſſe procul omnem triſtitiam, omnem uitæ mortiſque metum, omnem dubitationem & errorem decet. Solum hoc fratres, eſt reliquum, hoc ſolum ſupereſt fratres, ut Chriſti ueſtigijs, quæ dudũ ingreſſi ſumus, cõſtanter fideliterque inſiſtamus, doctrinæ puritati primum intacta, uita deinde per omnia uiuo Dei uerbo conformata. Cætera qui potens eſt, quique ſponte uigilat ſua, Chriſtus Dominus curabit, Eccleſiam ſuam tuebitur. Agite igitur ô fratres, ſic luceat lux ueſtra, ut in uobis glorificetur pater Deus, illuſtre Chriſti nomen conſpicuumque, luce uitæ & ſynceritatis ueſtræ fiat, Agite diligite inter uos uere, uitam hanc in oculis, in conſpectu Dei totam traducite. Fruſtra uerbis pietas inculcatur, ueritate & luce uitæ opus eſt, uero que & cœleſti mentis ſpiritu. Si fundere Sathanam, ſi conuertere in Chriſtum mundum hunc præſertim uelimus. Nam quæ ſurgunt, ô fratres nebulæ, quæ ſe intempeſtas ingerit, quæ hominum alienatio, quæ impietas incumbit? Sed ſtare fratres, durareque oportet, præſens ipſe ſuis rebus Dominus, O ſi pericula unà ſubire.

hanc animam pro ueritate sæpe effundere liceat. Sed licet, indiuisus amor est, & indissolubile in Christo uinculum, communia pijs omnia inter sese. Hæc ita de pietatis communi causa. De sua sic paucis: Corruptæ ueritatis scelus, quod nobis imputatur, inquit, nil moror, Subeo iam bona per gratiam Dei conscientia tribunal Christi. Hic liquidum erit ecclesiam per nos non esse seductam. Cuius equidem sententiæ contestationisque nostræ testes uos relinquo, & ipse hoc extremo spiritu confirmo. Sic dixit: fratres operam dare, Ecclesiæ curam suscipere dextris datis promittebant. Postridie, quæ iam decimusquintus dies fuit, ex quo decubuit, liberos in conspectum adduci, coramque sisti iussit, ac dextras primum prehendit, deinde capita singulorum demulsit, ac quanquam nil horum per ætatem intelligere poterant, quippe trimulus maximus natu erat. Agite, inquit, tu Eusebi, tu Irena, tu Alethea, mea pignora, Patrem Deum diligatis. Annuente pro pueris matre, ad ipsam socrumque & cognatos conuersus. Vos, inquit, hac contestatione obstrinxi, uos, quod audiüt, quod quæ esse uolui, pijque, pacifici, ueraces mei liberi ut sint, operam dabitis. Cum rursus annuerent promitterentque omnes, uelut fide accepta, abduci rursus è conspectu iussit. Erat postremo ea uox. Aderamus fratres omnes, paucula quædam dixit, cætera quietus. Redeuntem quendam per amicum sibi, cum rogaret, quid attulisset noui? & ille respondisset: nihil. At ego tibi dicam inquit, noua, Expectabāt quid esset, Breui, inquit, ero apud Christum Dominum. Paulo pôst cum ecquid lumine offenderetur, rogarent, pectus tangens, abundè lucis est, inquit. Iam aurora appetebat, & oriri sol; rebusq; inferri & humana respicere festinabat, cum uiro optimo fatalis hora instaret. Postrema uero fuit oratio, quam quidem uoluere clarè lingua anhela posset, pro peccatis deprecatio illa Dauidis celeberrima, quam integram à principio ad finem, uir Dei, ductis ab imo pectore pijs gemitibus palàm omnibus peregit. Paululum deinde intercessit moræ, & uelut respiratio, cum rursus tanquam expergefactus, orationemque instaurans. Salua me Christe Iesu, inquit. Vltima

hæc uox fuit, quam os illud uenerandum, & pium caput edidit. Decem fratres aderamus, in genua circũ lectulum deuoluti, sublatis omnes in cœlum manibus Dominum obtestantes. Iam prorsus illuxerat, iam sol horizonta nostrum plane contigerat, cum spiritũ uir optimus reddderet creatori Deo, tãta animi per omnia lenitate, tam certa in Christum dominum fiducia, ut pij omnes ex obitu & illustri exemplo cõsolationem perceperint, nõ minus quàm è uita. Sic Oecolampadius ultimum uitę huius actum clausit, cum per omnem, qua uixit ætatem se gessisset innocentissimè.

IOANNIS COLETI VITA, PER DES. ERASMVM ROTERODAMUM, Ad Iodocum Ionam. Anno Domini M. D. XXI. scripta.



Maioritas summa Lõdini præfectura.

OANNES Coletus natus est Londini claris & op ulentis parentibus. Siquidem pater bis in urbe sua prȩfecturam summam gessit, quam illi maioritatem appellãt. Mater quæ adhuc superest, insigni probitate mulier, marito suo undecim filios peperit, ac totidem filias. Quorum omnium natu maximus erat Coletus, ac proinde solus hæres futurus iuxta leges Britãnicas, etiam si illi fuissent superstites, sed ex omnibus ille superfuit solus, cum illum nosse cœpissem. Accesserat his fortunæ commodis corpus elegans ac procerum. Adolescens apud suos, quicquid est scolasticæ philosophiæ, diligenter perdidicit,

ac titulum assequutus est, qui septem liberalium artiū scientiam profitetur. Quarum nulla erat in qua ille non fuisset gnauiter ac feliciter exercitatus, nam & libros Ciceronis auidissime deuorarat, & Platonis Plotinique libros non oscitanter excusserat, nec ullam Mathematices partem intactam reliquit. Pòst tanquam auidus bonarum rerum negociator, adijt Galliam, mox Italiam, Ibi se totum euoluendis sacris authoribus dedit, sed prius per omnia literarum genera magno studio peregrinatus, priscis illis potissimum delectabatur, Dionysio, Origene, Cipriano, Ambrosio, Hieronymo, Atque inter ueteres nulli erat iniquior, quàm Augustino. Neq; tamen non legit Scotum, ac Thomam, aliosq; huius farinæ, si quando locus postulabat. In utriusque iuris libris erat non indiligenter uersatus. Deniq; nullus erat liber, historiam, aut constitutiones continens maiorum, quem ille non euoluerat. Habet gens Britannica, qui hoc præstiterunt apud suos, quod Dantes ac Petrarcha apud Italos, Et horum euoluendis scriptis, linguam expoliuit, iam tum præparans ad præconium sermonis Euangelici. Iam reuersus ex Italia, relictis parentum ædibus, Oxoniæ maluit agere. Illic publicè & gratis Paulinas epistolas omnes enarrauit. Hic hominem nosse cœpi, nam eòdem me Deus nescio quis adegerat, natus tum erat annos ferme triginta, me minor duobus aut tribus mensibus. In Theologica professione nullum omnino gradum, nec assequutus erat, nec ambierat, tamen nullus erat doctor, uel Theologiæ, uel Iuris, nullus Abbas, aut dignitate præditus, quin illum audiret, etiam allatis codicibus, siue hoc laudis debetur Coleti autoritati, siue illorum studio, quos non puduerit senes à iuuene, doctores à non doctore discere, tametsi pòst ultrò delatus est doctoris titulus, quem magis, ut illis gereret morem, quàm quòd ambiret, accepit. Ab his sacris laboribus regis Henrici eius nominis septimi fauore, Londinum est reuocatus, ac Decanus apud Diuum Paulum factus, ut illius præesset collegio, cuius literas sic adamabat. Est autem ea dignitas eius nominis apud Anglos prima, tametsi sunt aliæ prouentu magis opimo. Hic uir optimus tanquam ad opus uocatus, non ad dignitatem, collegij ui collapsam disciplinam sarsit, & quod erat illic nouum, singulis

Coletus Augustino iniquior.

Coletus Erasmi æqualis.

Coletus Decanus apud Diuū Paulum Londini.

diebus festis in suo tẽplo concionari instituit, præter cõciones extra ordinarias, quas nunc in regia, nunc alijs atq; alijs locis habebat. Porro in suo templo non sumebat sibi carptim argumentum ex Euangelio, aut epistolis Apostolicis, sed unum aliquod argumentum proponebat, quòd diuersis contionibus ad finem usque prosequebatur, puta Euangelium Mathæi, symbolum fidei, precationem Dominicam. Et habebat auditorium freques, in quo plerosque primores suę ciuitatis decari. Mensam & aulæ regiæ quæ antea sub hospitalitatis titulo luxui seruierat, contraxit ad frugalitatem. Nam cum & ante annos aliquot, in totũ abstinuisset à cœna, caruit uespertinis conuiuis. Porro quum cum seruis prandere, etiam tum minus habuit multos, sed hoc pauciores, quòd & frugalis esset apparatus, tametsi nitidus, & breuis accubitus, denique sermones qui non delectarent nisi doctos ac bonos. Cõsecrata mensa, mox puer aliquis clara uoce distinctè pronunciabat caput aliquod ex epistolis Pauli, aut prouerbijs Salomonis. Ex eo delectum locum ipse ferè repetebat, ac sermonis occasionem sumebat, sciscitans ab eruditis, aut ingeniosis, etiam idiotis, quid hoc aut illud dictum sibi uellet. Atque ita sermonem temperabat, ut quanquam & pius & grauis, tamen nihil haberet tædij, aut supercilij. Rursus sub conuiuij finem, quum iam utcunque satisfactum esset, non uoluptati, sed necessitati, aliud argumentum iniecit, atque ita conuiuas dimisit, & animo & corpore refectos, ut meliores discederent, quàm uenerant, & stomachum minime cibis onustum referrẽt, impensé delectabatur amicorum colloquijs, quæ sæpe differebat in multam noctem, sed omnis illius sermo, aut de literis erat, aut de Christo. Si grati confabulonis non erat copia (nec enim quibuslibet delectabatur) puer aliquis è sacris libris aliquid pronunciabat. Me nonũq & peregrinationis comitem asciuit, nihil erat illic festiuius, sed semper libellus erat itineris comes, nec alij sermones, quã de Christo. Impatiens oĩum sordium, adeo ut nec sermonẽ ferret solœcũ, ac barbarie spurcum. Quicqd erat domesticæ suppellectilis, qquid apparatus in cibis, quicquid apparatus in uestibus, quicquid in libris, nitidũ esse uolebat, de magnificentia non laborabat, non nisi pullis uestibus utebatur, cum

illic

Illic uulgò sacerdotes ac Theologi uestiantur purpura. Summa uestis semper erat lanea ac simplex, si frigus hoc postulabat, interulis pellicijs se muniebat, Quicquid è sacerdotijs redibat, id in usus domesticos œconomo suo dispensandum reliquit, quod erat patrimonij (erat autem amplissimum) ipse in pios usus distribuebat. Nam patre defuncto, cum ingentem pecuniæ uim accepisset ex hæreditate, ne seruata gigneret in eo aliquid morbi, nouam scolam extruxit in cœmiterio Sancti Pauli, puero Iesu sacram, opere magnifico, adiecit ædes magnificas, in quibus agerent duo ludi magistri, quibus amplum salarium designauit, quo gratuitò docerent, sed sic uti scola non capiat nisi certum numerum. Eam distinxit in partes quatuor. Primus ingressus habet ceu Catechumenos. Nullus autem admittitur, nisi qui iam norit, & legere & scribere. Secunda pars habet eos, quos hypodidasculus instituit. Tertia quos superior erudit. Alteram ab altera dirimit uelum quoddam quod adducitur, ac diducitur, cum libet, Supra cathedram præceptoris sedet puer Iesus singulari opere, docentis gestu, quem totus grex adiens scolam ac relinquens hymno salutat. Et imminet patris facies dicentis: ipsum audite, nam hæc uerba me autore asscripsit. In postremo sacellum est, in quo licet rem diuinam facere. Tota scola nullos habet angulos, aut secessus, adeo ut nec solarium sit ullum, aut cubiculum. Pueris singulis suus est locus in gradibus paulatim ascendentibus, distinctis spacijs Quæque classis habet sedecim, & qui in sua classe præcellit, sellulam habet cęteris paululo eminentiorem, nec quosuis admittunt temere, sed delectus fit indolis & ingeniorũ. Vidit hoc uir perspicacissimus, in hoc esse præcipuam reip. spem, si prima ætas bonis rationibus institueretur. Ea res cũ constet immensa pecunia, tamen nullum in huius consortium admisit. Quidam legarat in eam structuram centum libras monetæ Britannicæ, ubi sensit Coletus hac gratia sibi nescio quid iuris uendicare laicos, permissu Episcopi sui, eam pecuniam contulit in sacras uestes templi. Scolam struit Coletus.

Ritibus totique negocio præfecit non sacerdotes, non Episco-

pum

pum, aut capitulum, ut uocant, non magnates, sed ciues aliquot coniugatos, probatæ famæ. Rogāti caussam, ait, nihil quidem esse certi in rebus humanis, sed tamen in his se minimum inuenire corruptelæ, atque ut hoc opus nemo nō probauit, ita multi demirabantur, cur magnificentissimas ædes extrueret intra pomeria monasterij Carthusiensium, quod non procul abest à regia quæ dicitur Ruhemonda. Aiebat se parare sedem illam suæ senectuti, cum iam impar laboribus, aut morbo fractus cogeretur se submouere ab hominum consortio. Illic erat animus philosophari, cum duobus aut tribus amiculis eximijs, inter quos me solitus est numerare, sed mors anteuertit. Nam cum ante paucos annos correptus esset sudore pestilenti, qui morbus peculiariter infestat Britanniam, & ab eodem tertio repetitus, utcunq; tamen reuixit, sed ex morbi reliquijs contracta uiscerum tabes, qua perijt. Medicus unus hydropem esse iudicauit. Anatomia nihil iudicauit noui, nisi quòd epar repertum est extremas fibras circlis prominentibus hirsutum. Sepultus est ad australe chori latus in suo templo humili sepulchro, quod in eum usum iam ante annos aliquot delegerat, inscriptione addita. Io. Coleti finem faciam, mi Iona, si pauca cōmemoraro, primum de ipsius natura, deinde de opinionibus paradoxis, Postremo de procellis quibus explorata est hominis ingenua pietas, cuius minimam portionem debebat naturæ suæ. Siquidem animo præditus erat insigniter excelso, & omnis iniuriæ impatientissimo, ad Venerem, luxum, ac somnum mirè propensus, ad iocos ac facecias supra modum procliuis, hæc ipse mihi fassus est, nec omnino tutus à morbo philargyriæ. Aduersus hæc ita pugnauit philosophia, sacrisque studijs, uigilijs, ieiunijs, ac precibus ut totum uitæ cursum ab huius seculi inquinamentis purum peregerit. Nam quantum mihi licuit ex illius consuetudine, colloquijsque familiaribus colligere, uirginitatis florem ad mortem usque seruauit. Opes in pios usus dissipauit aduersus animi celsitudinem ratione pugnauit, adeo ut à puero quoque moneri se pateretur. Venerem, somnum ac luxum, abstinentia cœnę perpetua, iugi sobrietate, indefessis laboribus studiorum, sanctisque colloquijs profligauit, & tamen si quando sese obtulisset occasio, uel iocandi

Sudor Anglicus.

Coleti mors

iocandi apud facetos, uel colloquendi cum fœminis, uel accumbēdi in opiparis conuiuijs, uidisses aliqua naturæ uestigia. Et ob id se rè à laicorum consuetudine abstinuit, sed præcipue à conuiuijs, ad quæ si quando cogebatur, me aut mei similem adhibebat, quo Latinis fabulis declinaret prophana colloquia. Atque interim sumpto ex uno tantum genere cibi pusillo, uno aut altero cereuisiæ haustu contentus erat, à uino temperans quo tamen delectatur eleganti, sed temperantissime utens, ita se sibi semper habens suspectū, cauebat ab omnibus, quibus esse posset offendiculo cuiquam. Nec enim ignorabat omnium oculos in se coniectos, nunquam uidi ingenium felicius, atque ob id similibus ingenijs unice delectabatur, sed ad hæc se malebat demittere, quæ præpararent ad immortalitatem uitæ futuræ. Nulla in re nō philosophabatur, si quando se laxaret fabulis amœnioribus. In pueris ac puellis delectabat naturæ puritas, ac simplicitas, ad cuius imitationem suos uocat Christus, angelis eos solitus comparare. Iam ut alteram ex oluam partem: opinionibus à uulgo multum dissidebat, sed mira prudentia hac in re sese attemperabat alijs, ne quos offenderet, aut ne quid labis in famam contraheret, non ignarus quàm iniqua sunt hominum iudicia, quanque prona in malum credulitas, quantoque facilius sit maledicis linguis contaminare famam hominis, quàm benedicis sarcire: inter amicos ac doctos liberrimè ꝓfitebatur quid sentiret. Scotistas quibus hominum uulgus ceu peculiare tribuit acumen, aiebat sibi uideri stupidos, & hebetes, & quiduis potius quā ingeniosos. Nā argutari circa alienas sententias ac uerba, nūc hoc arrodere, nunc illud, & oīa minutatim dissecare, ingenij esse sterilis & inopis. Thomę tñ, nescio qua de causa iniquior erat quàm Scoto. Etenim cum hunc apud illum aliquādo laudarem, ut inter recentiores non aspernandum, quòd & sacras literas, & autores uidetur euoluisse, cuius rei suspicionem mihi fecerat catena, quæ uocatur aurea, & aliquid haberet inscriptis affectum, semel atque iterum dissimulauit obticiscens. Verum ubi rursus in alio colloquio inculcarem eadem uehementius, obtuitus est me, uelut obseruans serio ne hæc dicerē, an εἰρωνικῶς. cū animaduerteret me ex animo loqui, tanquam afflatus spiritu quodā,

Coletus iniquior S. Thome

impie loquitur [illegible] S. Thomam

Quid tu, inquit, mihi prædicas istum, qui nisi habuisset multum arrogantiæ, non tanta temeritate, tantoque supercilio definisset omnia, & nisi habuisset aliquid spiritus mundani, non ita totam Christi, sua prophana philosophia contaminasset. Admiratus sum hominis ἐνθουσιασμὸν, cœpique diligentius eius uiri scripta euoluere, Quid uerbis opus est? omnino decessit aliquid meæ de illo æstimationi. Cum nemo magis faueret Christianæ pietati, tamen erga monasteria, quæ nunc falso nomine pleraque sic uocantur, minimum habebat affectus, eisque aut nihil, aut quàm minimum largiebatur, ac ne moriens quidem aliquid illis decidit. Non quòd inuisos haberet ordines, sed quòd homines suæ professioni non responderent. Nam ipsi in uotis erat, se prorsus ab hoc mundo extricare, sicubi reperisset sodalicium uerè coniuratum in uitam Euangelicam. Atque id negocij mihi delegarat Italiam aditurο, narrans sese apud Italos comperisse quosdam monachos uere prudentes ac pios, Nec enim ille iudicabat esse religionem quā uulgus iudicabat, cum sit aliquocies ingenij penuria: laudabat & Germanos aliquot, apud quos residerent etiamnum priscæ religionis uestigia. Dictare solet se nusquam reperire minus corruptos mores, quàm inter cōiugatos, quòd hos affectus naturæ, cura liberorum ac res familiaris ita uelut cancellis quibusdam distringerent, ut non possint in omne flagicij genus prolabi. Cum ipse castissimè uiueret, tamen inter illaudatos, minus erat iniquus his, qui tametsi sacerdotes essent, aut etiam monachi, uenere dumtaxat peccarent, non quòd impudicitiæ uicium non detestaretur, sed quòd hos experiretur multo minus malos, quocies eos cum alijs conferret, qui cum essent elatis animis, inuidi, maledici, obtrectatores, fucati, uani, indocti, toto pectore pecuniæ, & ambitioni dediti, tamen sibi magnum quiddam esse uidentur, cum alteros infirmitas agnita redderet humiliores, ac modestiores. Aiebat magis execrandam in sacerdote auariciam & superbiam, quàm si centum haberet concubinas. Ne uero quisquam hæc huc rapiat, ut putet leue crimen esse in sacerdote, aut monacho libidinem, sed ut intelligat alterum genus longius abesse à uera pietate, Nulli mortalium generi erat infensior quàm Episcopis, qui pro pasto-

ribus

ribus lupos agebant, nec ullos magis execrabatur, quòd cultu sacro, ceremonijs, benedictionibus, ac ueniolis se uenditarent populo, cum toto pectore seruirent mundo, hoc est gloriæ & quæstui. E Dionysio cæterisque Priscis Theologis quædam hauserat, quib. non ita fauebat, ut usquam contenderet aduersus decreta ecclesiastica, sed tamen ut minus esset iniquus ijs, qui non probarent sic passim in templis adorari imagines pictas, ligneas, saxeas, ære as, aureas, argenteas. Item ijs qui dubitarent an sacerdos ac palam improbus conficeret aliquid sacramentali functione, haud quaquam fauens istorum errori, sed indignans ijs, qui uita palam & undique contaminata, præberent causam huiusmodi suspicionis. Collegia quæ multo magnificoque sumptu sunt apud Anglos instituta, dicebat officere bonis studijs, nec aliud esse, quàm inuitabula ociosorum, neque scolis publicis perinde multum tribuebat, quòd ambitio profitendi & quæstus omnia uicians, corrūperet synceritatem omnium disciplinarū. Vt cōfessionem secretam uehementer probabat, negans se ulla ex re capere tantundem consolationis ac boni spiritus, ita anxiam ac subinde repetitam uehemē ter dānarat. Cum apud Anglos mos sit, ut sacerdotes fere quotidie faciant rem diuinam, ille tñ contentus erat diebus dominicis ac festis sacrificare, aut certe pauculis diebus extra hos, siue quòd sacris studijs, quibus se parabat ad concionandum, & ecclesiæ suæ negocijs destineretur, siue qd' cōperiret se cū maiore affectu sacrificare, si id ex interuallo faceret, haud quaquā tñ improbabat illorum institutum, quibus placeret quotidie adire mensam dominicā. Cum esset doctissimus, tamen anxiam hāc, & laboriosam sapientiam non probabat, quæ ex oīum disciplinarum cognitione, & ex oīum autorum lectione, uelut ansis oībus absoluitur, dictitans ita deteri natiuā illam ingenij sanitatē, ac synceritatem, homines& minus sanos, & ad Christianam innoctēiam, purāq; ac simplicē charitatem minus idoneos. Plurimū tribuebat epistolis apostolicis, sed ita suspiciebat admirabilem illam Christi maiestatem, ut ad hanc quodammodo sordescerent apostolorū scripta. Oīa fere Christi dicta, miro ingenio reuocarat ad terniones, unde & librū instituerat scribere. Quòd sacerdotes etiā occupati quotidie

Coleti opinio de imaginū cultu

tam prolixas preces exhaurire cogerentur, etiam domi atque in itinere, uehemementer admirabatur. Nam cultum ecclesiasticũ magnificè fieri ualde probabat. Innumera sunt hodie in publicis scolis receptissima, à quibus ille plurimũ dissentiebat, de quibus inter amiculos solebat aliqñ conferre, apud alios dissimulabat, ne geminum caperet incommodum, ut & nihil proficeret nisi in peius, & existimationis suæ iacturam faceret. Nullus erat liber tã hæreticus, quem ille non attentè euolueret, dicens se plus aliquoties ex illis capere fructus, quàm ex horum libris, qui sic omnia defininnt, ut frequenter adulentur Coryphæis, nonnunquam & sibi ipsis. Rectè loquendi copiam non ferebat peti è præceptionibus grammaticorum, quas asserebat officere ad bene dicendũ, nec id contingere nisi euoluendis optimis autoribus, sed huius opinionis ipse pœnas dedit, Cum enim esset & natura & eruditione facundus, ac dicenti mira suppeteret orationis ubertas, tamen scribens subinde labebatur in his que solent notare critici. Atque hac ni fallor, gratia à libris scribendis abstinebat, atque utinam non abstinuisset, nam huius uiri cogitationes, quacunque etiam lingua proditas optarim. Iam ne quid defuisse putetur absolutæ Coleti pietati, tempestates quibus agitatus est accipe Nunquam illi bene cõuenerat cum suo Episcopo, de cuius moribus ne quid dicam, superstitiosus atque inuictus erat Scotista, & hoc nomine sibi semideus uidebatur, quo quidem ex genere aliquot nouerim quos nolim improbos appellare, nullum tamen adhuc uidi, quem mea quidem sententia, possis uerè pureque dicere Christianum. Nec admodum gratus plerisque sui collegij, quòd tenacior esset disciplinæ regularis, ac subinde queritabantur, se pro monachis haberi, quanquam hoc collegiũ olim fuit, & in uetustatis syngraphis uocatur orientale monasterium. Sed cum odiũ senis Episcopi, iam enim erat non minor annis octoginta, atrocius esset, quã ut premi posset, ascitis duobus episcopis æque cordatis, nec minus uirulentis, incipit Coleto negocium facessere, nõ alio telo quàm quo solent isti, si quando cuiquam exitium moliuntur. Defert eũ apud archiepiscopum Cantuariensem, articulis aliquot notatis, quos ex illius concionibus decerpserat. Quorum unus erat, quòd docu

De precib9 sacerdotũ.

Hereticorũ libri.

Coletus nullos libros scripsit.

Nullũ Scotistam uerè purèque dici posse christianum.

docuisset non adorandas imagines. Alter quòd sustulisset à Paulo laudatam hospitalitatem, qui enarrans illud ex Euangelio, pasce, pasce, pasce oues meas, cum in prioribus duobus cum reliquis interpretibus consentiret, pasce exemplis uitæ, pasce sermone doctrinæ, In tertio dissensisset, negans conuenire, ut apostoli, qui tum erãt pauperes, iuberentur oues suas pascere subsidio temporali, & huius loco aliud quiddam substituisset. Tertium, quòd cum in concione dixisset, quosdam de charta concionari (id quod multi frigidè faciunt in Anglia) oblique taxasset episcopum, qui ob senium id solitus sit facere. Archiepiscopus, cui Coleti dotes erant egregiè cognitæ, patrocinium innocentis suscepit, è iudice factus patronus, cum ipse Coletus ad hæc aliaque stultiora, respondere dedignaretur. Non conquieuit tamen senis odium, tentauit aulã regiam in Coletum cõcitare, atque in primis Regem ipsum. Iam aliud telum nacti, quòd publicè dixisset in concione, pacem iniquam præferendam bello æquissimo, iam enim adornabatur bellum in Gallos, & huius fabulæ non minimam partem minoritæ duo, quorum alter, fax belli, mitram meruit. Alter bonis lateribus uociferabatur in concionibus in poëtas, Sic enim designabat Coletum, cum is à poëticis numeris esset alienissimus, alioqui nõ imperitus musices. Hic Rex egregius iuuenis dedit euidens specimen ingenij sui regno, priuatim hortans Coletum, pergeret sua doctrina libere succurrere moribus eius seculi corruptissimis, neque subduceret lucem suam temporibus tenebricosissimis, se nõ ignorare quid in illum stimularet episcopos illos, neque nescire quantum ipse fructus attulisset genti Britannicæ sua uita, sacraque doctriua. Addebat sese sic cohibiturum illorum conatus, ut alijs liqueret nõ impune fore, si qui Coletum impeterent. Hic Coletus egit quidem gracias pro animo regio. Cæterum quod obtulit, deprecatus est, negans se uelle, aut cuiquam peius esset sua causa, se potius cessurum munus quod gerebat. Sed aliquanto pòst data est illis ansa, ut sperarent iam posse confici Coletum. A pascha parabatur expeditio in Gallos, in die parasceues Coletus apud regem & aulicos mire concionatus est de uictoria Christi, adhortans Christianos omnes, ut sub regis sui uexillo militarent ac

Ridiculum

uincerent. Etenim qui odio, qui ambitione, mali pugnarent cum malis, seque uicissim trucidarent, non sub Christo, sed sub diaboli signis militare, simulque ostendit, quàm res esset ardua, Christianum obire mortem, quàm pauci bellum susciperent non odio, aut cupiditate uitiati, quàm uix consisteret eundem habere fraternam charitatem, sine qua nemo uisurus esset Deum, & ferrũ in fratris uiscera demergere. Addidit ut Christum principem suum imitarentur potius, quàm Iulios, & Alexandros. Multaque alia tum declamauit in hanc sententiam sic, ut rex nonnihil metueret ne hæc cõcio adimeret animos militibus, quos educabat. huc uelut ad bubonem omnes conuolant mali, sperantes fore, ut regis animus iam aliud possit exacerbari. Accersitus est Coletus iussu regis, uenit, pransus est in monasterio Franciscanorũ, quod adhæret regiæ Grienuuikensi. Rex ubi sensit, descendit in hortũ monasterij, & Coleto prodeunte, dimisit suos omnes. Vbi solus esset cum solo, iussit ut tecto capite familiariter colloqueretur, atq; ita exorsus est iuuenis humanissimus, Ne quid temere suspiceris domine Decane, nõ huc accersiui te, quo turbem tuos sanctissimos labores, quibus unicè faueo, sed exonerem conscientiam meam scrupulis aliquot, tuoque consilio rectius satisfaciam officio meo. Verum ne totum colloquium repetam, quod ferè sesquihoram productum est. Interim in aula ferociebat Bricotus, existimans periclitari Coletum, cum per omnia conueniret illi cum rege, nisi quòd Rex optabat, ut quod Coletus uerè dixisset, uidelicet Christianis nullum bellum esse iustum. Coletus pro sua prudentia proque singulari animi moderatione, non solum animo regio satisfecit, uerum etiam auxit gratiam pristinam. Vbi reditum est in regiam, rex dimissurus Coletum, allato poculo præbibit illi, & complexus hominem humanissimè, omniaq; pollicitus, quæ sint ab amantissimo expectanda, dimisit. Iam aulica turba circumstãs expectabat exitum eius colloquij. Ibi rex omnibus audientibus, Suus, inquit, cuiq; doctor esto, & suo quisq; faueat. hic est doctor meus, ita discesserunt quidam, lupi, quod aiunt, hiantes. & præcipuò Bricotus, nec ab eo die quisquam est ausus impetere Coletũ. Habes Iodoce uirum quem ætas nostra tulit mea sententia uerè

Regis Angliæ ad Coletũ uerba.

ſyncereque Chriſtianum, non tam depictum, quàm delineatum, quantum paſſa eſt epiſtolaris anguſtia. Tuum erit ex illo decerpere quod tibi uidebitur ad ueram pietatem maxime conducere.

THOMAE MORI
VITA PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.



VOD Thomæ Mori ingenium ſic deamus, ac penè dixerim deperis, nimirum ſcriptis illius inflammatus, quibus ut ueré ſcribis, nihil eſſe poteſt, neque doctius, neque feſtiuius, clariſſime Huttene, tibi cum multis cõmune eſt, cum Moro mutuũ etiam. Nam is uiciſſim adeo ſcriptorum tuorum genio delectatur, ut ipſe tibi propemodum inuideam, Hæc uidelicet eſt illa Platonis omnium maximè amabilis ſapientia, quæ longè flagrantiores amores, quam ullæ quamlibet admirabiles corporum formæ. Non cernitur illa quidem oculis corporeis, ſed animo ſui ſunt oculi, ut hic quoque uerum comperiatur illud Græcorum. ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται ἀνθρώποις τ' ἐρᾶν. per hos fit aliquoties, ut ardentiſſima charitate conglutinentur, inter quos nec colloquium, nec mutuus conſpectus intercesſit. Et quemadmodum uulgo fit, ut incertis de cauſis alia forma alios rapiat, ita uidetur & ingeniorum eſſe tacita quædam cognatio, quæ facit ut certis ingenijs impenſè delectemur, cæteris non item. Cæterum quòd à me flagitas ut tibi totum Thomam Morum uelut in tabula depingam, utinam tam abſolute queam, quàm tu uehementer cupis. Nam mihi quoque non iniucundum fuerit, interim in amici multo omnium ſuauiſſimi cõtemplatione uerſari. Sed primum οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐστὶν, omnes Mori dotes perſpexiſſe. Deinde haud ſcio an ille laturus ſit, à quolibet artifice depingi ſeſe. Nec enim arbitror leuioris eſſe ope-

operæ Morum effingere, quàm Alexandrum magnum, aut Achillem, nec illi quàm hic noster immortalitate digniores erãt. Tale argumentum prorsus Apellis cuiuspiam manum desiderat, at uereor, ne ipse Fuluij Rutubæq; similior sim quàm Apellis. Experiar tamen tibi totius hominis simulachrum delineare uerius q̃ exprimere, quantum ex diutina domesticaque consuetudine uel animaduertere licuit, uel meminisse. Quòd si quando fiet ut ỏs aliqua legatio cõmittat, tum demum intelliges, quàm nõ probum artificem ad hoc negocij delegeris, uereorque planè, ne me aut inuidentiæ incuses, aut cœcutientię, qui ex tam multis bonis tã pauca uel uiderim lippus, uel commemorare noluerim inuidus. Atque ut ab ea parte exordiar, qua tibi Morus est ignotissimus. Statura modoque corporis est infra humilitatem, uerum omniũ membrorum tanta est symmetria, ut nihil hic omnino desyderes, cute corporis candida, facies magis ad candorem uergit, quàm pallorem, quanquam à rubore procul abest, nisi quod tenuis admodum rubor ubique sublucet, capilli subnigro flauore, siue ma uis, subflauo nigrore, barba rarior, oculi subcesij, maculis quibusdam interspersi, quę species ingenium arguere solet felicissimum, apud Britannos etiam amabilis habetur, cum nostri nigrore magis capiantur. Negant ullum oculorum genus minus infestari uitijs. Vultus ingenio respondet, gratam & amicam festiuitatem semper præ se ferens, ac nõnihil ad ridentis habitum compositus Atque ut ingenuè dicam appositior ad iucunditatem, quàm ad grauitatem aut dignitatem, et tam si longissimè abest ab ineptia scurrilitateq;. Dexter humerus paulo uidetur eminentior lęuo, præsertim cum incedit, Id quod illi non accidit natura, sed assuetudine, qualia permulta nobis solent adhærere. In reliquo corpore nihil est quod offendat, manus tantum subrusticæ sunt, ita dumtaxat, si ad reliquam corporis speciem conferantur. Ipse omnia quę ad corporis cultũ attinent, semper à puero neglexit, adeo ut nec illa magnopere curare sit solitus, quæ sola uiris esse curanda docet Ouidius. Formę uenustas quæ fuerit adolescenti, nunc etiam licet ἐκ τῆς καλάμης conijcere, quanquam ipse noui hominem, non maiorem annis uiginti tribus, nam nunc non multum excessit

sit quadragesimũ. Valetudo prospera magis quàm robusta, sed tamen quæ quãtislibet laboribus sufficiat, honesto ciui dignis, nullis aut certe paucissimis morbis obnoxia: spes est uiuacem fore, quando patrem habet admodum natu grandem, sed mire uirenti uegetaque senectute. Neminem adhuc uidi minus morosum in delectu ciborum. Ad iuuenilem usq; ætatem, aquæ potu delectatus, id illi patrium fuit. Verum hac in re ne cui molestus esset, fallebat conuiuas è stanneo poculo ceruisiam bibens, eamque aquæ proximam. Vinum, quoniam illic mos est ad idem poculum uicissim inuitare sese, summo ore nonnunquam libabat, ne prorsus abhorrere uideretur, simul ut ipse communibus rebus assuesceret. Carnibus bubulis, salsamentis, pane secundario, ac uehementer fermentato libentius uescebatur, quàm his cibis quos uulgus habet in delicijs. Alioqui neutiquam abhorrens ab omnibus quę uoluptatem innoxiam adferunt etiam corpori. Lactariorum, & eorum fœtuum quæ nascuntur in arboribus semper fuit appetentior: esum ouorum in delicijs habebat. Vox neque grandis, nec admodum exilis, sed quæ facilè penetret aures, nihil habens canorum, ac molle, sed planè loquentis est, nam ad Musicam uocalē à natura non uidetur esse compositus, etiam si delectatur omni Musices genere. Lingua mire explanata, aniculataque, nihil habens nec præceps ne hæsitans. Cultu simplici delectatur, nec sericis, purpuraue, aut cathenis aureis utitur, nisi cum integrum non est ponere. Dictu mirum, quàm negligens sit ceremoniarum, quibus hominum uulgus æstimat morum ciuilitatem. Has ut à nemine exigit, ita alijs non anxiè prestat, nec in congressibus nec in conuiuijs, licet harum non sit ignarus, si lubeat uti. Sed muliebre putat, uiroque indignnm eiusmodi ineptijs bonam temporis partem absumere. Ab aula principumque familiaritate olim fuit alienior, quòd illi semper peculiariter inuisa fuerit tyrãnis, quem admodum ęqualitas gratissima, Vix autem reperies ullam aulam tam modestam, quæ non multum habeat strepitus, atque ambitionis, multum fuci, multum luxus, quæque prorsus absit ab omni specie tyrannidis. Quin nec in Henrici octaui aulam pertrahi potuit, nisi multo negocio, cum hoc principe nec optari possit quic-

Morus usque ad iuuētam abstemius.

quam ciuilius ac modestius. Natura libertatis atque ocij est auidior, sed quemadmodum cum datur lubens utitur, ita quoties poscit res, nemo uigilantior aut patientior. Ad amicitiam natus factusque uidetur, cuius & syncerissimus, & longè tenacissimus est cultor. Nec ille metuit πολυφιλίαν ab Hesiodo parum laudatam. Nulli non patet ad necessitudinis foedus. Nequaquam morosus in deligendo, commodissimus in alendo, constantissimus in retinendo. Si fors incidit in quempiam, cuius uicijs mederi non possit, hunc per occasionem dimittit, dissuens amicitiam, non abrumpens, Quos synceros reperit, & ad ingeniũ suum appositos, horũ consuetudine fabulisque sic delectatur, ut in his rebus præcipuam uitæ uoluptatem ponere uideatur. Nam à pila, alea, chartis, cæterisq; lusibus, quibus uulgus procerum temporis tædium solet fallere, prorsus abhorret. Porro ut propriarũ rerum est negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorum negotijs. Quid multis? Si quis absolutum uerę amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petierit, quàm à Moro. In conuictu tam rara comitas, ac morum suauitas, ut nemo tam tristi sit ingenio, quem non exhilaret, nulla res tam atrox, cuius tædium non discutiat. Iam inde à puero sic iocis est delectatus, ut ad hos natus uideri possit, sed in his nec ad scurrilitatem usque progressus est, nec mordacitatem unquam amauit. Adolescens Comœdiolas & scripsit, & egit, Si quod dictum esset etiam in ipsum tortum, tamen amabat, usque adeo gaudet salibus argutis, & ingenium redolentibus, unde & epigrammatis lusit iuuenis, & Luciano comprimis est delectatus, quin & mihi ut Morias encomiũ scriberem, hoc est, ut camelus saltarem, fuit autor. Nihil autem in rebus obuium est, unde ille non uenetur uolupratem, etiam in rebus serijs. Si cum eruditis & cordatis res est, delectatur ingenio: si cum indoctis ac stultis, fruitur illorum stultia. Nec offenditur morionibus, mira dexteritate ad oĩm affectus sese commodans. Cum mulieribus ferè, non nisi lusus, iocosq; tractat. Diceres alterum quendam Democritũ, aut potius Pythagoricũ illum philosophũ qui uacuus p mercatum obambulans, cõtemplatur tumultus uendentium atq; ementium. Nemo minus ducitur uulgi iudicio, sed rursus nemo minus

minus abest à sensu coi. Precipua illi uoluptas est spectare formas, ingenia, & affectus diuersorũ aĩantiũ. Proinde nullum ferè genus est auium, quod domi non alat, si quod aliud animal uulgo rarum, ueluti simia, uulpes, uiuerra, mustela, & his consimilia, Ad hæc si quid exoticum, aut alioqui spectatum occurrat, auidissime mercari solet, atque his rebus undique domum habet instructam, ut nũquam non sit obuium, quod oculos ingredientium de moretur, ac toties sibi renouat uoluptatem, quoties alios conspicit oblectari. Cum ætas ita ferret, non abhorruit à puellarũ amoribus, sed citra infamiam, & sic ut oblatis magis frueretur, quàm captatis, & animo mutuo caperetur potius quàm coitu. Bonas literas à primis statim annis hauserat. Iuuenis ad Græcas literas ac philosophiæ studium sese applicuit, adeo non opitulante patre uiro alioqui prudenti, proboque, ut eum conantem omni subsidio destitueret, ac penè pro abdicato haberet, quod à patris studijs desciscere uidetur, nam is Britannicarum legum peritiam profitetur. Quæ professio, ut est à ueris literis alienissima, ita apud Britannos cum primis habentur magni, clarique, qui in hoc genere sibi pararunt autoritatem, nec temere apud illos alia uia ad rem ac gloriam parandam magis idonea. Siquidem pleramque nobilitatem illius insulæ peperit hoc studiorum genus. in eo negant quenquam absolui posse, nisi plurimos annos insudarit, Ab hoc igitur cum non iniuria abhorreret adolescentis ingenium, melioribus rebus natum, tñ post degustatas scolasticas disciplinas, sic in hoc uersatus est, ut neq; consulerent quenq; libentius litigatores, neq; quæstum uberiorem faceret quisquam eorum, qui nihil aliud agebant. Tãta erat uis ac celeritas ingenij. Quin & euoluendis orthodoxorũ uoluminibus non segnem operã impendit, Augustini libros de ciuitate dei publicè sacerdotes ac senes, à iuuene prophano sacra didicere. Interim & ad pietatis studium totum animum appulit, uigilijs, ieiunijs, precationibus, alijsq; consimilibus progymnasmatis sacerdotiũ meditans. Qua quidem in re non paulo plus ille sapiebat, quàm plerique isti, qui temerè ad arduam professionrm ingerunt sese. Neq; quicquam obstabat quo minus sese huic gñi addiceret, nisi quòd uxoris desyderiũ nõ posset excu

tere. Maluit igitur maritus esse castus, quàm sacerdos impurus. Tamen uirginem duxit admodum puellam, claro genere natam, rudem adhuc, utpote ruri inter parentes ac sorores semper habitam, quo magis illi liceret illam ad suos mores fingere. Hanc & literis instituendam curauit, & omni musices genere doctam reddidit, planeque talem penè finxerat, qui cum lubuisset uniuersam ætatem exigere, ni mors prçmatura puellam sustulisset è medio, sed enixam liberos aliquot, quorum adhuc supersunt puellæ tres, puer unus. Neque diu celebs uiuere sustinuit, licet aliò uocantibus amicorum cõsilijs, paucis mensibus à funere uxoris uiduam duxit, magis curandæ familiæ, quàm uoluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipse iocari solet, sed acrem ac uigilãtem matrem familias, qui cum tamen perinde comiter suauiterque uiuit, ac si puella foret forma quantumlibet amabili. Vix ullus maritus à sua tantum obsequij impetrat imperio atque seueritudine quantum hic blandicijs iocisque. Quid enim non impetret, posteaquam effecit, ut mulier iam ad senium uergens, ad hoc animi minime mollis, postremo ad rem attentissima, cithara, testudine, monochordo, tibijsque canere disceret, & in hisce rebus quotidie prçscriptũ operæ pensum exigenti marito redderet? Consimili comitate totam familiam moderatur, in qua nulla tragœdia, nulla rixa. Si quid extiterit, protinus aut medetur, aut componit. Neque quenquam unquam dimisit ut inimicum, aut ut inimicus. Quin huius domus fatalis quædam uidetur felicitas, in qua nemo uixit, qui non prouectus sit ad meliorem fortunam, nullus unquã ullam famæ labem contraxit. Quin uix ullos reperias, quibus sic conuenerit cum matre, ut huic cum nouerca, nam pater iam alteram induxerat, utramq; non minus adamat, ac matrem, Nuper induxit tertiam, hac Morus sanctè deierat se nihil unq̃ uidisse melius. Porro erga parẽtes ac liberos, sororesq; sic affectus est, ut nec amet molestè, nec usq̃ desit officio pietatis. Animus est à sordido lucro alienissimus. Liberis suis semouit è facultatibus, quod illis satis esse putat, quod superest largiter effundit. Cum aduocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum uerumq; consilium, magis illorum commodis prospiciens quàm suis. Plerisque

Mori matrimonium II.

soli.

ſolitus perſuadere, ut litem componerent, minus enim hic fore diſpendij Id ſi minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua poſſent quàm minimo diſpendio litigare, quando quibuſdam hic animus eſt, ut litibus etiam delectentur. In urbe Londonienſi, in qua natus eſt, annos aliquot iudicem egit in cauſis ciuilibus, id munus ut minimum habet oneris (nam non ſedetur niſi die Iouis uſque ad prandium) ita cum primis honorificum habetur. Nemo plures cauſas abſoluit, nemo ſe geſſit integrius, remiſſa pleriſque pecunia, quam ex præſcripto debent, qui litigant. Siquidem ante litis conteſtationem actor deponit ſex drachmas, totidem reus, nec amplius quicquam fas eſt exigere. His moribus effecit, ut ciuitati ſuæ longè chariſſimus eſſet. Decreuerat autem hac fortuna eſſe contentus, quæ & ſatis haberet autoritatis, nec tamen grauibus eſſet obnoxia periculis. Semel atque iterum extruſus eſt in legationem, in qua cũ ſe cordatiſſime geſſiſſet, non conquieuit ſereniſſimus rex Henricus eius nominis octauus, donec hominem in aulam ſuam pertraheret. Nullus unquam uehemẽtius ambijt in aulam admitti, quàm hic ſtuduit effugere. Verum cum eſſet optimo regi in animo, familiam ſuam eruditis, grauibus, cordatis, & integis uiris differtam reddere, cum alios permultos, tum Morum imprimis acciuit, quem in intimis habet, ut à ſe nũquam patiatur diſcedere Siue ſerijs utendum eſt, nihil illo conſultius, ſi ue uiſum eſt regi fabulis amœnioribus laxare animum, nullus comes feſtiuior. Sæpe res arduæ iudicem grauem & cordatum poſtulãt, has ſic Morus diſcutit, ut utraque pars habeat gratiam. Nec tamen ab eo quiſquam impetrauit, ut munus à quoquam acciperet. Fœlices res publicas, ſi Mori ſimiles magiſtratus ubique præficeret princeps. Nec interim ullum acceſſit ſupercilium. Inter tantas negociorum moles, & ueterum amiculorum meminit, & ad literas adamatas ſubinde redit. Quicquid dignitate ualet, quicquid apud ampliſſimum Regem gratia pollet, id omne iuuandę reipub. iuuandis amicis impendit. Semper quidem adfuit animus de cunctis benemerendi cupidiſſimus, mireque pronus ad miſericordiam, eum nunc magis exerit, quando plus poteſt prodeſſe. Alios pecunia ſubleuat, alios autoritate tuetur, alios commenda-

Morus Iudex cauſarum Londini.

Morus ad aulam trahitur.

tione prouehit,quos alioqui iuuare nõ poteſt,conſilio ſuccurrit. Nullum unq̃ à ſe triſtem dimiſit. Diceres,Morũ eſſe publicum omnium inopum patronum. Ingens lucrum ſibi putat acceſſiſſe, ſi quem oppreſſum ſubleuauit,ſi perplexum & impeditum explicuit,ſi alienatum redegit in gratiam.Nemo lubentius collocat beneficium,nemo minus exprobrat. Iam cum tot nominibus ſit fœliciſſimus,& fœlicitatis comes ferè ſoleat eſſe iactantia, nullum adhuc mortalium mihi uidere cõtigit,qui longius abeſſet ab hoc uitio.Sed ad ſtudiorum commemorationem redeo, quæ me Moro,mihiq́ Morum potiſſimum conciliarunt. Primã ætatem carmine potiſſimum exercuit, mox diu luctatus eſt, ut proſam orationem redderet molliorem,per omne ſcripti genus ſtilum exercens,qui cuiuſmodi ſit,quid attinet commemorare? tibi præſertim qui libros eius ſemper habeas in manibus. Declamationibus præcipuè delectatus eſt,& materijs paradoxis,quòd in his acrior ſit ingeniorum exercitatio. Vnde adoleſcens etiamnum dialogum moliebatur, quo Platonis communitatem ad uxores uſque defendit. Luciani Tyrannicidæ reſpondit, quo in argumento me uoluit antagoniſtam habere,quo certius periculum faceret, ecquid profeciſſet in hoc genere. Vtopiam hoc conſilio ædidit,ut indicaret,quibus rebus fiat,ut minus commode habeãt reſpublicæ,ſed Britannicam potiſſimum effinxit, quam habet penitus perſpectam cognitãque. Secundũ librũ prius ſcripſerat per ocium,mox per occaſionem primum adiecit ex tempore, Atque hinc nonnulla dictionis inæqualitas. Vix alium reperias, qui fœlicius dicat ex tempore,adeo fœlici ingenio lingua ſubſeruit. Ingenium præſens, & ubique præuolans,memoria parata, quæ cum omnia habeat uelut in numerato promptè & incũctãter ſuggerit quicquid tẽpus aut res poſtulat.In diſputationibus nihil fingi poteſt acutius,adeo ut ſummis etiã Thelogis ſæpe negociũ faceſſat, in ipſorum harena uerſans Ioannes Coletus,uir acris exactiq́ iudicij in familiaribus collegijs ſubinde dicere ſolet, Britanniæ non nõ niſi unicũ eſſe ingenium, cum hæc inſula tot egregijs ingenijs floreat. Verę pietatis non indiligens cultor eſt, etiãſi ab oĩ ſuperſtitione alieniſſimus.Habet ſuas horas quibus Deo litet precibus

non

non ex more, sed è pectore depromptis. Cum amicis sic fabulatur de uita futuri sæculi, ut agnoscas illud ex animo loqui neque sine optima spe, ac talis Morus est etiã in aula. Habes imaginem ad optimum exemplar à pessimo artifice non optimè delineatam.

Hactenus Erasmus de uita Mori. Cæterum de morte eius uarij fuerunt & etiamnum sunt rumores. Nos autem eam mortis expositionem quæ & uitæ ipsius magis consona est, & publicè iã circumfertur, legiturq́, huc subijciemus. Illa sic habet. Accipies igitur uir amicissime ab amico minime læta, sed omni lachrymarum genere bonis omnibus deploranda, quanq̃ arbiror famam istuc iam dudũ omnia pertulisse priusquam ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium uirorum, sed præcipuè Thomę Mori, dum uiueret eius regni Baronis inclyti, ac supremi iudicis, quem illi Cancellarium appellant, qua dignitate nõ est apud eam gentem alia maior excepto Rege, eóq́ quum prodit, aureũ sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unum latus, ad alterũ liber. Quæ uero sum narraturus partim è schedis Gallice scriptis, quæ hic circumferuntur desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum uidi. Sed priusquam aggrediar, paucis describã Lõdoniensis urbis situm. Ciuitas in latũ angusta, ad Thamysim flumen sic in lõgum porrecta est, ut uideatur non posse desinere, unde & nomen uidetur inditum, siquidem apud Flãdros loca mari uicina Dunen appellant. Indidem dictum uidetur Galliarum Lugdunum, quasi dicas, longas ripas. Ad Orientem in extremo habet arcem benè munitam, qua reges interdum utũtur, uulgus Turrim appellat. Sed in eadem seruari solent uiri nobiles aut aliàs dignitate quapiam præminentes, qui uidentur aliquid aduersus Regiam maiestatem deliquisse. In altero extremo ad occasum insigne monasterium est Benedictinorũ, uulgus appellat Vuestmonasterium, & huic proximum Regis palatium structuræ ueteris, sed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adiuncta est domus spatiosissima, nullis fulta columnis, in qua sedent iudices. Vtrumque ædificium flumini imminet, ut hinc illuc cymba uehi possint. In hac arce Thomas Morus posteaq̃ multis mensibus fuisset captiuus, Cal. Iulijs anno Dñi M.D.XXXV. productus est ad

P. M. ad Gasparem Agripp.

gotiis præcipua: Quòd obiicitur, me incurrisse in pœnam uiolatæ constitutionis, quæ proximo cõsilio prodita est, me iam in carcere agente, quasi malitioso animo, perfidiosè ac proditoriè regiæ Maiestati detraxerim, famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictam constitutionem erat tributa, uidelicet quòd ibi declaratur sub Iesu Christo supremum caput ecclesiæ Anglicanæ: In primis respondebo ad hoc qđ mihi obiicitur, quòd Domino Secretario Regis ac uenerabili Maiestatis illius consilio, rogatus quæ mea esset de hoc ædicto sententia, nihil aliud uoluerim respõdere, quã me iam mundo mortuũ esse, nec istiusmodi negotiis amplius sollicitari, sed tantum meditari in passione Domini nostri Iesu Christi. Dico me istam uestram constitutionem, ob hoc silentium non posse damnari capitis, eò quòd nec uestrum ædictum, nec ullæ leges mundi possunt quenq̃ ob silentium addicere morti, sed tantum ob dictum aut perpetratum facinus. De occultis enim solus iudicat Deus. Ad hæc respondit procurator Regius interpellãs: At tale silentium inquit, euidens argumentum est animi malè sentientis de iam dicta constitutione. Nam omnis subditus syncerus ac fidelis Regiæ Maiestati, si de dicta constitutione interrogetur, tenetur & obligatur citra omnem dissimulationem respõdere categorice: Regium edictum esse bonum, iustũ ac sanctum. Ad quæ Morus: Si uerum est quod habetur in legibus, eum qui tacet uideri consentire, meum silentium confirmauit potius uestram cõstitutionem q̃ improbauit. Iam quod dicis, omnem subditum fidelem obligari ut respondeat Categerice, si interrogetur &c. Respondeo, bonæ fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiæ & animæ suæ, quàm ulli alii rei in hoc mũdo, maximè si talis conscientia qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo uobis affirmo, quòd nulli mortalium unquam detexerim hac in re conscientiam meam. Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo arguor contra dictam constitutionem molitus ac machinatus fuisse, eò quod ad Roffensem scripserim octo paria epistolarum, quibus illum animarim aduersus istud edictum. Equidem uehementer optarim eas epistolas hic proferri ac recitari,

quæ me uel conuincerent uel liberarent. Cæterum quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, ipse nõ grauabor recitare sententiam earum. In earum quibusdam agebatur de nostris priuatis negotijs, pro uetere nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam continebatur responsum ad Episcopi literas, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, nisi me iam meam composuisse conscientiam, ipse componeret suam. Animæ meæ periculo ac teste Deo uobis asseuero, nihil aliud in illis literis à me scriptum fuisse. Harum igitur causa non possum per uestram cõstitutionem addici morti.

Superest tertius articulus, qui intendit quòd quum de uestra cõstitutione examinarer, dixerim eam esse similem gladio utrinque secanti, propterea quòd si quis uellet eam seruare, perderet animam: si contradicere, perderet corpus. Idem quoniam ut dicitis respondit Episcopus Roffensis, perspicuum esse inter nos fuisse conspirationem. Ad hęc respondebo, me nunquam fuisse loquutum, nisi conditionaliter. Sic uidelicet, si tale esset edictum, qualis est gladius utrinque incidens, quo pacto posset quis euitare, quin in alterum incideret periculum. Hæc mea fuit oratio. Quomodo responderit Episcopus nescio: si illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. Breuiter illud pro certo habetote, me nunquam quicquam maliciosè fuisse loquutum aduersus uestram constitutionem: at fieri potuit, ut ad benignam Regis clementiam aliquid malitiose fuerit delatum.

Post hæc uocati sunt per quendam ex ostiarijs, duodecim uiri, iuxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli, ut super illis consultarent, ac post consultationem iudicarent ac pronunciarent, utrum Thomas Morus malitiosè obstitisset prædictæ constitutioni Regis, an non. Qui quum per horæ quartam partem secessissent, reuersi sunt ad principes ac iudices delegatos, ac pronunciarunt, Killim, hoc est, dignus est morte. Ac mox per Dominum Cancellarium lata est sententia iuxta tenorem nouæ constitutionis. His itaque peractis Thomas Morus hunc in modum

dum orsus est loqui: Age, quando sum condemnatus, quo iure Deus nouit, ad exonerandam conscientiam, uolo liberius eloqui quod sentio de uestra constitutione. Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumq; meum in istam causam, uerum hactenus in nullo doctorum ab ecclesia probatorum reperi scriptum, quòd Laicus, aut ut uocant, secularis, possit aut debeat esse caput status spiritualis aut ecclesiastici. Hic cancellarius interrumpēs Mori sermonem, Domine More, inquit, ita ne tu uis haberi sapientior, meliorisq; conscientiæ omnibus Episcopis, tota nobilitate, toto denique regno? Ad quæ Morus, Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quem habes tuæ opinionis, ego sanctos & orthodoxos uiros habeo plures centum, mecum sentientes, & pro unico uestro concilio, quod quale sit Deus nouit, pro me habeo omnia concilia generalia annis ab hinc mille celebrata: & pro uno regno, habeo Franciam cæteraque orbis Christiani regna omnia. Hic dux Nortfordij interpellans: Nunc More perspicuè liquet tua maleuolentia. Ad quæ Morus, Milordt, sic Angli compellant insigni dignitate præstantes, ut hæc loquar non incitat maleuolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam cōscientiam meam, teste Deo, qui solus scrutatur corda hominum. Præterea dico & illud, constitutionem uestram esse perperam factam, eo quòd uos professi estis, & iureiurando uosmetipsos obstrinxistis, nihil unquam molituros aduersus sanctam ecclesiam, quæ per uniuersam ditionem Christianam unica est, integra & indiuidua, neque uos soli ullam habetis autoritatem citra aliorum Christianorum consensum condendi legem, aut instituendi concilium aduersus unionem & cōcordiam Christianitatis. Nec me fugit, quam ob rem à uobis condemnatus sim, uidelicet ob id, quòd nunq; uoluerim assentire in negotio noui matrimonij Regis. Confido aūt de diuina bonitate ac misericordia fore ut quemadmodū olim Paulus Stephanum persecutus est usque ad mortem, & tamen ijdem nunc unanimes sunt in cælo, ita nos qui nunc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordes, & perfecta charitate unanimes. Hac spe fretus precor Deum ut uos seruet unà cum Rege, eiq; dare dignetur

tur bonos consultores. His ita peractis, Thomas Morus reductus est in turrim. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatio-natione miserabilius. Margareta filiarum Mori natu maxima, mulier præter eximiam formæ uenustatem cum summa dignitate cõiunctam, iudicio, ingenio, moribus & eruditione patris simillima, per mediam populi turbam, perq́ satellitum arma semet iniecit, & ad parentem penetrauit. Quum & mulier esset, & natura cumprimis uerecũda, tamen & metum & pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cũ audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in charissimi parẽtis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterum ne uerbum quidem interim potuit proloqui. Curę, inquit Tragicus, leues loquuntur, ingentes stupent. Mouit stipatores tametsi duros hoc spectaculũ. Horum itaq; permissu Morus his uerbis consolatus est filiã. Margareta patienter feras, nec te discruties amplius. Sic est uoluntas Dei. Iam pridem nosti secreta cordis mei: simulq́ dedit osculũ, ex consuetudine gentis, si quem dimittunt. At illa cum digressa esset ad decem uel duodecim passus, denuo recurrit, & amplexa parentem rursus inhæsit collo illius, sed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum erumpebant lachrymæ, uultu tamen à constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis uerbis mandauit quàm ut Deum pro anima patris deprecaretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis è populari turba lachrymæ excidere. Erant & inter satellites ferũ & immite genus hominum, qui lachrymas tegere non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus, adeo ualida res sit, ut immitissimas etiam feras moueat. Hic apud se quisq; reputet quàm ualido ariete tum pulsatum sit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga suos oẽs adeo φιλόστοργος ut non alius magis, sed eam filiam ut erat eximijs prædita dotibus ita diligebat impensius. Morum fortiter excepisse sententiã mortis, aut etiam carnificis securim, minus admirandum existimo, q̃ pietatem erga suos potuisse uincere. Nihil enim addubito, quin hic doloris gladius crudelius uulnerarit Mori præcordia, quàm illa carnificis securis quæ collum amputauit.

Die

Die Mercurij ſequente, hoc eſt, ſeptimo die Iulij productus eſt in planiciem, quæ eſt ante arcem. Mos eſt illic ut afficiēdi ſupplicio, de ponte plebem alloquantur. At Morus pauciſſimis uerbis eſt uſus, tantum orans qui aderant, ut pro ipſo Deum orarent in hoc mundo, ſe uiciſſim in altero mundo precaturum pro ipſis. Mox hortabatur atque inſtanter rogabat, orarent Deum pro Rege, ut illi dignaretur impartire bonum conſilium, conteſtans ſe mori fidelem ac bonum Regis miniſtrum, ac Dei inprimis. Hęc loquutus prompte conſtantique uultu flexis genibus ceruicem poſuit ſecurim excepturus, non ſine graui multorum gemitu. Erat enim bonis omnibus chariſſimus.

Quæ hactenus narraui, ferē continebantur in ſcheda apud Pariſios iactata, ac per manus hominum uolitante. Quiſquis autem ſcripſit, uidetur actis interfuiſſe.

FINIS.

Lectori S.

Aeditionis huius authori, optime Lector, aliò nimirum demigranti, non erat hæc neque reuidendi, neque corrigendi copia. traditum itaque mihi pueri manu descriptum exemplar, satis me hercle mendosum, locis aliquot merè & dubijs & obscuris, nullo præterea adiutus archetypo, sequendū duxi, potius quàm alienis scriptis temerè manum immittere. Penes te, Lector, esto iudicium, boni consule, ac huiusmodi memorabilium uitarū ex officina nostra Tomum secundum expecta propediem, Vale.

FRANCOFORTI Christianus Egenolphus excudebat, Mense Septembri.
Anno M. D. XXXVI.

